CONVENTVS AFRICANVS

SIVE

DISCEPTATIO IVDICIALIS

APVD TRIBVNAL

PRÆSVLIS AVGVSTINI

Inter veteris & nouitiæ Theologiæ patronos.

ENARRATORE

ARTEMIDORO ONEIROCRITICO.

A ROVEN,

Ches NICOLAS DE MONTAIGNE:

ANNO 1641.

Auguſtin. de lib. arbit.

Si de veritate Scandalum ſumitur, vtilius permittitur naſci Scandalum, quàm veritas relinquatur.

Hippone in celebri decretum nuper & actum
Quid fuerit, memori volo tradere posteritati.
Frustra me aspectas digito labijs appresso
Harpocrates: tacitè haud debet res tanta perire.
Dicam quæ vidi, quæ audiui, queisque fui inter.
Veram si narro historiam? hanc agnoscite: falsam
Si prodo, fas & iustum est ignoscere: namque
Nota quoque est ratio mi, quâ mendacia vito.
Tempus erat, quo cuncta silent, interque Triones
Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes;
Cùm Somnus virgâ validè me perculit: anni
Tempus erat vernum; & variæ circumuolitabant
Ante oculos vmbræ: donec cedentibus astris
Somnium ad hunc hominem venit longumque, ratumque,
Egressum cui porta dabat, quæ Cornea fertur.
Eius quisnam habitus fuerit, quæ forma, docebo.
Hippone ad templum mihi sum consistere visus.
Primùm solus eram, sed post consurgere cœpit
Ingens turba Patrum Reuerendorum, ac Monachorum,
Queis via versum ædes Antistitis Augustini.
Cum cura inspexi cunctos, si quis mihi notus.
Ecce autem video Aetolorum examine cinctum
Iansenium duci, diuexatique rei instar.
Ah! quo te laterones hi, quo te Pater? inquam.
Et iam præceps in collum amplexusque ruebam.
Sed vultu Heluetico quidam me reppulit adstans.
Iansenius porro, vadunt me sacrificatum,
Inquit, pro vero; sed veri ô tu pater adsis.
Aetoli irascebantur: protractus & vltra est,
Ereptusque oculis. Intentè ego specto sequaces:
Atque Achmeto inquam, te hic ô dulcissime cerno?
Is præter morem sat toruè: tu quis? & vnde?
Ergo sic, inquam, tuus excidit Artemidorus?
Quid stas? an forsan notorem me dare vis tu?
Et iam prensabam dextram. cùm effusus is in me

Vigilon? an dormio? & satis acceptum te esse Artemidorum Symmystam meum? Quis tua labra fonte proluit caballino? an in bicipiti somniasti Parnasso, vt repentè sic Poëta prodires? Non solens ita mecum aut cum alijs loqueris. Age Heleconidas, pallidamque Pirenen illis relinque, quorum imagines lambunt ederæ sequaces; & me prorsâ oratione affare. Quis Deus

 autem

autem è Belgis te hic ſtitit? Huc, inquam, me per ſomnium duxit Somnus. Sed dic Sodes, hanc turbam ſcis quæ ſit? Vah! inquit, turbam tu appellas? Patres ſunt Româ huc legati. Ego intentior iam & attentior; Patres ais? quo autem, & quid? Sanctiſſimus Dominus, inquit, hoc concilium Hippone apud Auguſtinum haberi voluit, vt cauſa Ianſenij diſceptetur; imitatus Clementem Octauum, qui omnes controuerſias de *Auxilys* ab hoc Iudice definiri voluit, ſeu, vt verbis illius dicam, *totam diſputationem de Auxilijs ad normam doctrinæ S. Auguſtini adſtringi voluit: tum quod acies Eccleſiæ Auguſtino Duce tandem Pelagianos vicerit: tum quia idem Sanctus nihil videatur prætermiſiſſe eorum, quæ ad has controuerſias pertinent. Tertiò, quod, cùm multi Romani Pontifices doctrinæ S. Auguſtini de gratia tam acres fuerint aſſertores ac vindices, vt quaſi hæditario iure eam in Eccleſia relinqui voluerint, æquum non ſit, vt illam patiatur hac quaſi hæreditate priuari.*

ex Gibeuf. in limin. tract. de libert.

Parabam quærere: ſed Achmetus me duxit porrò ad veſtibulum ipſum domus. Video intrantes Purpuratos, Violaceoſque graviter & cum dignitate: niſi quod vnus circumſtrepentibus Ætolis cinctus lectitabat neſcio quid, & ſermonem intermiſcebat. Cæteri intrabant parum decorè. Ego ad Achmetum, eugepæ! confuſa turba, trudunt velut ſues: Tam frequentes autem huc miſſi? Mihi Achmetus, tam frequentes, inquit, quia de ſumma re agitabitur. Dum fabulamur, turba ecce ſubitò ſe findit tanquam locum datura tranſeunti cuipiam. Ad me Achmetus, Auguſtinus adeſt. Ego admirans nullos ei comites video intimè laneos; extimè lineos. Sed & qui latus ei claudunt, qui? Diſcipuli, inquit, duo Proſper & Fulgentius. De lineis, & laneis, quod vis illos de cohorte ejus fuiſſe:

Sunt apinæ tricæque, & ſi quid vilius iſtis.

Sed quid ſtamus? ait, iam introitum oportuit. At ego, etiam tu de hoc Conſiſtorio eris? Non, inquit, vt ius dicendæ ſententiæ habeam; ſed Purpuratorum vni aſſecla & à conjecturis ſum. Sequere: & ſimul traxit me tunicâ renitentem. Non hercle ego, non ego, inquam. Metuis? ait. Validiſſimè, inquio: ſcis nullam hic mihi perſonam eſſe. Ille ridens, vides, inquit, promiſcuam turbam irrumpere: tu Auctor ſcriptis celebermus quidni poſſis? Ego igitur ſiui me trahi, & intraui. Circumſpicio vndique: nihil culti, nihil ornati, campana ſupellex, famuli pauci, nullum veſtigium alterius ſexus. Memineram illud; *quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.* Vltrà progreſſus alio in conclaui video ſubſellia ſatis longa: in ſummo ſedentes Purpuratos; inter quos noteſcere mihi cœpit ille, quem in aditu Ætolorum examine obſeſſum videram. Nomen ei ab *antio*: facies nuper apud Belgas viſa. Purpuratis proximi erant Violacei: deinde Ordinum Generales:

nerales: quos inter contentio quædam de ordine sessionis apparebat. Ætolis quatientibus caput, quod Mutium suum obsoletorum Ordinum primatibus nondũ potuissent prætrudere. Reliquiæ videbantur controuersiæ Tridentinæ. Dicebat ex ipsis nonnemo id nunc indignum videri, postquã *communis Orbis Magister Zuarez* liquidò demonstrauit, institutum Societatis omnibus non solum excellentius (quod nemini dubiũ esse potest) sed etiam antiquius esse. Vir erat Mutius annis gravis, nec subsellium suum sine Sociorum ope scandere poterat. Dicebat Achmetus eum sexto iam lustro Societatem humeris sustinere: Atlanticum sane onus tot spolijs & trophæis graue.

tom.4. de relig lib. 1. de inst. Societ. c.5.n.6.

Quidam e Socijs iubilei adhuc typho turgidus sæculares acclamationes Viro ingeminabat: *Tibi communis omnium Parens Muti Vitellesce iubila, Tibi plausus excitandi: triplicis iubilei terminos vnâ ætate complexus es: vicesimus quintus tibi annus à suscepto munere administrandæ Societatis decursus est; quinquagesimus Religiosæ vitæ; centesimus à prima nostra origine. Tuus est ante alios hic centesimus Societatis annus. Primum Te Sæcularem Præpositum* Generalem *omnis sciet posteritas, vt suos appellabat Roma Sæculares Augustos. Viue omnium nostrum voto, Pater desideratissime; tria prudentissimi Nestoris sæcula triplici iubileo adumbrasti.* Post Generales cæteri Religiosi & Sacerdotes consederunt: plerique pileis & calanticis violaceis profitebantur se Magistros Theologiæ: reliquos aiebat Achmetus Lectores esse, lectissimos omnes Theologos, quippe qui magnam partem ætatis in Aristotele, Scoto, Occamo & Scholasticis triuerant. In medio horum stabat Iansenius habitum speciemque Christo ab Apellis comprehenso similis. Sedebant verò Patres variè murmurantes muginantesque. Cum è loco suo Augustinus silentium manu poposcit, & impetrauit.

Imag. prim. sæc. in proleg. dissert. 5.

Conticuere omnes, intentique ore tenebant:
Inde Augustinus cathedra sic orsus ab alta est.

Quod olim ab Ecclesia mihi delegatum munus fuit, vt aduersus hostes gratiæ veritatem Catholicam scribendo assererem, id diuino beneficio ita me speraueram impleuisse, vt posteritati de genuino Ecclesiæ sensu nulla posset dubitatio superesse. Tam diffusè enim hoc argumentum executus sum, vt huius potissimum causâ mihi aliquando exprobratum multiloquium existimem. Sed frustratum me spe meâ dolui cum eas nuper de gratia & libero arbitrio controuersias excitatas intellexi, quasi aut non scripserim omnino; aut ita scripserim, vt contentionum tantum materiam potuerim præbere. Sed vereor ne hoc ipsum rursus in causa sit, quod Adrumetinos Monachos ali quãdo transuersos egit; quod semel lectos libros meos arbitrati sunt satis sibi innotescere potuisse; cum si quis eos fructuosissimos habere voluerit, eum pigere non debeat relegendo habere notissimos. Verum cum de re tota cognoscendi mihi à

lib. 1. de Correp

 Sancta

Sancta Sede auctoritas delegata sit non praeoccupabo oratione meâ huius controuersiæ causas: sed ex integro dicentes audiam eos, quibus in hoc amplissimo coetu accusandi defendendique partes eadem Sedes committendas censuit.

His dictis conuersi sunt omnium oculi ad Sociorũ turmam; è qua surgere visus quispiam, ore niger, gladiatorijs lacertis, homo, vt apparebat, audax. Pulsaui latus Achmeti; quis ille? quis? Pater Nugo, inquit, primus sine controuersia Europæ Theologus: Discipulus, vt opinor, famosissimi Pozæ: nam ijsdem vestigijs insistens ita nouis quotidie subtilitatibus Theologiam fœcundat, vt spes sit, omnia propediem probabilia fore. Itanè, inquam, noua Theologia nunc in pretio? Achmetus subridens, in vetustis & obsoletis adhuc hæres, postquam beneficio Aristotelis tantum lucis nunc Theologiæ illatum est? Obstupui ad hoc responsum, & regesturiebam multa. Sed surrexerat interea Nugo infensus, minax oculis, vultu; atque ita infit.

Non vnum crimen, Sanctissime præsul, sub nominis tui velamento designare ausus est hic versipellis, quem vides: Pontificum prohibitiones conculcare, damnata dogmata ab inferis reuocare, Scholasticam Theologiam vnicum fidei fulcimentum eiusque Coryphæos explodere, Societatem denique nostram, hoc est, munitissimam Ecclesiæ arcem oppugnare impunè se posse credidit, si sacro tuo nomine vteretur. Sed veteratoriæ hæreticorum artes nimis iam notæ sunt, his præsertim, qui, cùm implacabile cum ijs bellum gerant, versutias eorum & strophas omnes exploratas habent. Itaque à Patribus nostris mox deprehensus, atque ad Sanctissimum Dominum deductus, nouissimè ad hoc Tribunal tuum censendus & puniendus remissus est. Quæ dixi summa scelerum capita libri ab eo editi ita manifestò testantur, vt superuacuum censeam, de re confessa verba fundere. quod tamen quia facere iussus sum, paucis exequar. Sanctissimi Pontifices Paulus V. &, qui feliciter hodie præsidet, Vrbanus, cùm animaduertissent doctrinam de Auxilijs diuinis tam intellectu obscuram & tractatu teneram esse, vt cuiuis eam proprio ingenij captu tractanti in hæresim vel hæreseos confinia labi procliue sit; & dum quisque opiniones suas tueri studet, contentiones, & scandala inde exorta fuisse, prudentissimè cauerunt, & sub grauibus censuris alijsque pœnis prohibuerunt, ne quis sine Apostolicæ Sedis licentia de prædicta materia aliquid auderet in lucem mittere aut euulgare. Quod dum pluribus annis ab omnibus, & omnium religiosissime à Nostris obseruatum fuit, prodijt in Vniuersitate Louaniensi typis excusum infaustum huius tenebrionis opus, frustrà admitente per literas Internuntio Apostolico, vt secundum Pontificia decreta editio supprimeretur. Non ignoro, quid ad excusationem suam obtendant contumaces: non fuisse easdem Pontificum prohibitiones sibi particulatim insinuatas, nec proinde obligare. Sed pragmatici Curiæ Apostolicæ sciunt hoc iure inuiolabiliter nos vti, vt literæ Apostolicæ affixæ ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ & in acie campi Floræ, dimissis in

præfatis

prafatis locis earumdem literarum copijs affixis obstringăt vniuersum orbem Christianum. Sed neque hominis temeritas hic stetit: propositiones plures à Pio V. & Gregorio XIII. vt hareticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectiue damnatas, circumscriptas, & abolitas in lucem reuocare ac tueri est ausus. Satius profectò fuerat Martini V. Academia illius institutoris successores promdo eiusdem consilio & vestigijs insistentes à quinta hac Theologia Facultate cateris adijcienda in partibus ita ab Vrbe remotis abstinuisse, quam Ecclesia tranquillitatem his iniquissimis temporibus toties ab eius alumnis interturbari. Sed quia illustrior & sanior, vt intelligo, facultatis pars hominis audaciam damnat, & pauculi tantum Ianseniani ex cuniculis leporinis eum defensant, omissa facultate ad rem ad rem venire prastiterit. Capita quadam nefaria doctrina in medium adducturus sum, ex quibus fiet manifestum non aduersus illam, quam dixi, Pontificum damnationem, sed & contra concilia. SS. Patres. atq; tuam inprimis doctrinam, Profundissime Doctor, ac denique contra Scholasticorum consensum & rationem ipsam plurima ab eo esse scripta. Deum non velle omnes homines saluos fieri: neque Christum pro omnibus mortuum esse blasphemè contra Patrum & Ecclesia consensum atque apertam Tridentini Concilij definitionem asserit, vt nuper à nostris indissolubili syllogismo commonstratum est. Indifferentiam illam tribus iam saculis in scholarum pulpitis decătatam dum reijcit, quid aliud quam liberum arbitrium funditùs euertit?

in theolog. apolog.

Opera infidelium & virtutes Philosophorum vera esse vitia tam prasidenter definit, vt contrariam sententiam à Sede Apostolica probatam nugas, delirium, insaniam, errorem, impietatem contra Scripturam & fidem audeat appellare. Pracepta quadam Diuina homini impossibilia esse, neque omnibus dari gratiam sufficientem ea implendi profueri audet, atque ita summa bonitati tyrannidem affricat. Ignorantiam inuincibilem dum à peccato non excusare docet, quid nisi securim ad radicem omniū probabilitatum admouet; atque illius imprimis numquam satis laudati dogmatis ruinam meditatur; quod sententiam probabilem, atque adeo etiam minus probabilem relictâ probabiliore cuiuis amplecti liceat, & pro occasione vsibus suis accommodare. Denique quod omnium videtur maximè intolerabile: actiones humanas etiam fidelium omnes in peccato constituit, nisi relationem aliquam ad Deum contineant, & dilectione eius tamquam vltimi finis tincta & condita sint. Ex quo plusquam Stoico paradoxo hac rerum inauditarum catena sequitur: omnem creaturarum amorem fruitionemque etiam moderatam culpabilem esse: laudis honorisque desiderium, etiam quod ad virtutem stimulum subdat, merum esse peccatum, contra illud tritum: optimus quisque laude ducitur. Pecunia, scientiarū, imò & cibi potusque cum modo appetitionem, saporisque naturalem ac communem omnibus delectationem continenter homines in peccato detinere, nisi mentem sine intermissione in Deo defixă gerant: quo certum est humanam infirmitatem non pertingere; quamuis derisiculi quidam Tiresia in statu

caligi-

caliginis hanc sibi pietatis consummationem arrogare præsumpsit. Hæc aliaque huius commatis monstra sententiarum dum uno uerso libro inculcat, nihil profectò aliud quam præeuntibus Luthero & Caluino succinere videtur: ijsdem S. Scripturæ ac tuis Sanct. Præsul locis vtitur seu potius abutitur: ad hæc styli calore & asseuerandi summâ fiduciâ alijsque prorsus istis Magistris geminus. Infandas, quas retuli, propositiones cum animaduerteret homo vafer contra Scholasticorum omnium consensum esse excogitatas; inaudito fastu Scholasticam Theologiam exsibilare aggressus est; ratiocinationes ex Philosophia sumptas, quod ijs dissoluendis imparem se agnosceret, ineptias ex classibus Dialecticorum petitas, & Theologos sectatores Dinomachi & Epicuri indigitat: in hoc rursum Hæreticis nostri temporis non absimilis, quorum familiare conuitium est, dum veritatis & rationum pondere à Catholicis opprimuntur, Sophistas eos appellare. Quis nescit Ecclesiam Catholicam multis iam sæculis Scholasticorum humeris sustineri? infideles rationum probabilitate; quibus iam Theologia collucet, ad fidem Catholicam passim adductos? Hæreticos formæ syllogisticæ energia vbique prostratos iacere? Vnum exemplum non possum non commemorare. Imag. primi sæc. l. b. 3. cap. 3. *Campianus in Anglia aduersus Hæreticos hac inuicta vsus ratiocinatione:* si sola fides iustificat, sine charitate iustificat: sed sine charitate non iustificat: ergo non sola iustificat. *ita aduersarios perculit, vt cum negare ea, quæ sumebantur, non auderent, id solum occlamarint, vitiosam esse collectionem, quam tamen examinari ad leges dialecticas, quod vrgebant Catholici, numquam passi sunt. Gretserus noster, cum Hæreticorum quidam hanc formam Iesuiticam diceret, solidè ostendit eam potius Christianam dici debere, vt quam Christo & Apostolis familiarem fuisse tuo quoque testimonio Dignissime Præsul monstrauit. Quamquam nec negare quis possit multum Societati nostræ Theologiam & Ecclesiam debere, quod armorum genere tam necessario diligentius cæteris instruat eius scientiæ studiosos. Iam ex Physica quis fructus in Theologiam redundet illud abunde magnum est argumentum, quod eius præsidio Doctissimi Theologi nostri Ribera & Lessius capacitatem inferni & numerum damnatorum, qui post diem iudicij futurus est, solerter collegerint.* cap. 14. Apocal lib. 13. de mor. diu. n. cap. 24. *Quorum hic Physicis rationibus confirmauit non futuros vmquam centies mille milliones damnatorum, ac proinde diametrum vnius Belgici milliaris omnibus sine incommodo posse sufficere. Quibus adiungere non dubitarem inuictissimum Cantabrum nostrum Pozam, mihi ætatem venerandum, qui miracula sententiarum beneficio earumdem Artium Orbi Christiano cœperat exhibere, atque vberius confirmasset, nisi maleuolorum liuor Viri subtilitatem Curialibus Romanis reddidisset exosam: prorsus tamquam vetus Romanorum odium in Gentem iam olim teste Horatio* indoctam iuga ferre *Romana videatur resuscitatum. His scientiarum adminiculis destitutus Iansenius cum ad Theologiæ fastigium adspirare non posset, in scripta veterum repere constituit, vt nouum hoc genus Theologiæ procuderet: quod cum per stragem Scholasticorum sibi tuendum esse videret, eos in primis, quos*

summum

summum authoritatis culmen in Scholis obtinere advertebat, Societatis inquam nostræ Atlantes sibi prosternendos esse duxit, Deum immortalem! quæ robora Virorum, quæ hominum dæmonia, quam Deiformes animas! *Zuarium imprimis alterum Alexandrum Magnum, vnum Apollinem, communem Orbis magistrum*, à quo Philosophiæ & Theologiæ candidati omnes responsa in dubijs referant Delphicis multo oraculis certiora: qui si paucos adhuc tomos docto calamo exprimere potuisset, habuissent Theologi vnde de quouis argumento nullius aliunde emendicato subsidio cumulate docerentur. *Vnde & ei augustum Tuum nomen, Doctorum Sublimissime, vti & Angelico Thomæ iure meritissimo à plerisque est communicatum. Vasquio deinde subtilitate nulli secundo ausus est congredi & obsistere contra, &, quod omne flagitium superat, imperitiæ atq; imprudentiæ arcessere eum Virum, qui incedere solitus cum hoc conclamantium vndique discipulorum acroamate*; Mortalium doctissimus Vasquez. In cuius lucubrationibus nihil est singulare, quia nihil non est singulare: qui cum in omnibus Augustinianus audierit, in prima secundæ Augustinus ipse; vel si piget Augustinum dicere, Augustini dicito mentem vel linguam. *Molina nouitia inuenta ex* ingenio eius nata & à nemine antea tradita *de concordia gratiæ & liberi arbitrij inscitè vbique vellicat Thraso, quæ tamen huiusmodi sunt, ut, quia aduersus hæreses huius temporis mirificè opportuna videbantur, à Societate vniuersâ defendenda esse Moderatoribus nostris placuerit. Et si tuo æuo, Præsul Optime, data explanataque fuissent*, forsan neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque ex concertationibus tuis cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent: *neque dubito, quin, si proposita fuissent, à Te & cæteris Patribus vnanimi consensu fuissent comprobata. Hæc apud Te dicere non vereor, qui candidè alicubi professus es*, si me possis docere, quod nescio, non solum te verbis, sed & pugnis cædentem patientissimè sustinebo. *Sed hæc aduersus Scriptores Hispanos ausum fuisse hominem Batauum nihil mirum. Illud summæ insolentiæ est, quod nec Leonardũ Lessium in Belgis clarissimum impotenti calamo præterierit*, in quo Viro mens humanis omnibus maior fuit; vultus sanctimoniam spirabat: quem in numero Beatorum nunc splendere indubitatum nobis reddunt quotidiana prodigia, quorum amplius quindena iuratis testibus, nec paucis, & Medicorum iudicio (*præsertim optimi inter eos versificatoris ac silicernij breui ad easdem sedes transituri*) comprobata sunt, ac plura patrantur in dies, *partim aquâ in nomine eius benedictâ, partim cereis ad monumentum accensis; namque ipsum*

Mirificum populus sic colit ad tumulum.

Ac potissimùm quoties in confirmationem purissimæ doctrinæ eius nepos signum ab eo exposcit: illius inquam doctrinæ, quam non tam ex obscura veterum auctoritate, quam ex viua rationum

Conimbric. in præfat. tom. 3. de relig.

Præfat. com. 2. in 1. 2.

Auctor vitæ Bellar.

Molin. in concord. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1.

August de orig. animæ.

Imag. primi sæc. lib. 6. c. 1.

 rationum

rationum luce sibi collegit, eâ libertate à Magno Zuario donatus, edoctusque se explicare & expandere per lucidos spatiososque rationis campos. *In Galliam quoque rabies hominis transiit, ausa exagitare illius Regni singulare decus Franciscum Garassum noua Summa Theologica nouâ methodo concinnatæ authorem, & velut alterum Angelicum Doctorem. His alijsque Reip. Christianæ luminibus nescio quas offundere nebulas, virisque modestissimis superbiam, sapientissimis pueriles hallucinationes, Catholicæ fidei defensoribus hæresim affingere non erubescit. Quod in contumeliam quoque Sanctæ Sedis & Ecclesiæ Catholicæ fieri quis non videt? dum eos peruersorum dogmatum atque adeo hæreseos insimulat, quibus summi Pontifices Catholicæ fidei in varijs regnis ab interitu vindicationem, in alijs etiam per immensa terrarum spatia propagationem acceptam retulerunt, vt sine ulla iactantia nuper à Nostris propugnatum sit*, non exiguam prædestinationem partem quamuis Orbis partem deberi Societati. *Quid? sceleratis Pelagij dogmatibus Societatem nostram inquinatam esse, quæ dextrum Ecclesiæ brachium à Sancta* Sede *appellata fuit.* Quæ. *Sed pretium operæ fecero, si originem & institutum Societatis nostræ paulò altius repetiuero: credo enim nec Te, Reuerendissime Antistes, nec vos hic præsentes ô Viri fratres satis id perspectum habere. Decet tamen perspectum esse, vt magis dispalescat huius intolerandæ nequitia impostoris, qui tam sacrosanctam euertere Religionem est conatus. Inprimis igitur scire oportet, societatem nostram à Christo & Maria primùs in cœlo parentibus opportunè conceptam. Vnde perspicuũ est, societatem Iesu ab Apostolorum instituto ac religione non differre, nisi tempore; nec esse nouum Ordinem, sed tantum instaurationem quamdam primæ istius religionis, cuius auctor vnus & solus fuit Iesus. Et Ignatius in eum ferè modum multiplicari suos vidit, quo suorum turbam sectatorum Seruator auxit. Decem ille principio; Christus duodecim selegit: mox ad hos additi duo & septuaginta; Ignatio sexaginta concessi, pari ad priorem numerum accessione. Quare non impariliter Ignatius Diuo Petro Romæ delitescenti & rerum potienti componitur: vti Xauerius Paulo ad gentes exteras Christo asserendas proficiscenti: vel aque appositè atque accommodatè Ignatius Iulio Cæsari: Xauerius Alexandro Magno; vti elegantissimâ oratione quidam è nostris euicit. De Ignatij sanctitate non est quod verba faciam: non enim est ambigendum, quin Ignatius Societatis Fundator, quantuscumque fuit, opus Virginis fuerit. Sæpè familiariter & amicè egerunt cum Ignatio superi: ita vt vel ille sanctissimis cogitationibus extra se raperetur in cælum, vel hi, illecti scilicet consuetudine tam bonâ, eidem se in terra aspectabiles exhiberent. Loquebatur Dominus ad Moysen (Exod. 33.) facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum: sed & ita sæpe cum Ignatio loquebatur. Primum maximumque Societatis miraculum est Societas ipsa: quippe quæ ita Roma floret, vt Vir nobilis ab Vrbe in patriam reuersus quærenti quid vidisset Roma pulcherrimum, Societatem Iesu responderit. Nec Roma tantùm id est,*

[Margin notes: Vita Less. c. 4 — Theo. log. Præf. fide P. longe anno sæcul. Imag. primi sæc. lib. 1. c. 2. — Imag. primi sæc. lib. 4. in fin. — Imag. primi sæc. lib. 1. c. 3. — Imag. pr. sæc. lib. 2. cap. 2. — Imag. pr. sæc. lib 1. c. 7 — Imag. pr. sæc. lib. 2. orat. 3. — Platus lib. 1. cap. 34. — Imag. pr. sæc. lib. 5. cap. 1. — Imag. pr. sæc. lib. 5. cap. 5. — Imag. pr. sæc. lib. 5. cap. 11.]

id est, sed vbique terrarum, ubique gentium. Nam

Imag. pr. sæc. in proleg Soc Iesu. embl. 1. *Quod radij Solis, coetus facit istud Iesu:*

Omnis ab hoc latè, qua patet, ardet humus.

Imag. pr. sæc. lib. 6. cap. 3. *Quisquamne est homo vllius generis, ordinis, ætatis, tantillus aut tantus? estne boni operis aliquid tam abiectum, tam arduum? vllumne est tempus diurnum, nocturnumuè, quo se noster non extendat labor? Minimè igitur mirandum est, quod diuinum hoc nostrum institutum diuinis pluribus oraculis fuerit*

Imag. pr. sæc. lib. 1. cap. 2. *prεcantatum. Fuit enim Societas nostra per Regij Vatis Psalmum 67. Ecclesia laboranti promissa, dum dictum est:* animalia sua habitare facit in ea, *scilicet in Ecclesia. Vbi loco* animalia sua, *melius legitur* cohortem suam *seu Societatem suam: quod in nostram conuenire nemo non videt; & solidè demonstrat Velasquez noster. Sed &*

Imag. pr. sæc. præf. ad lect. *illo carmine Dauidis Psal. 91. Societatis perpetuitas ostenditur:* adhuc multiplicabuntur in senecta vberi; & bene patientes erunt. *Deinde & ab Isaia Propheta cap 18. est prædicta; vbi inquit:* ite Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam; ad populum terribilem, post quem non est alius: *id est, ad Iapones & Sinas; quod demum à Nostris impletum est. Et illud Isaiæ 49. vaticinium ad Societatem pertinet:*

Imag. pr. sæc. lib. 5. orat. 4. erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis, Erit tibi Dominus in lucem

Imag. pr. sæc. sempiternam; & Deus tuus in gloriam tuam. *Societas est currus ille igneus Israëlis, quem Elisæus olim plorabat ereptum: nunc vterque Orbis* lib. 3. orat. 1. *singulari Dei beneficio afflictus Ecclesia rebus gaudet è cælis aduectum: in quo si acies queras & milites, quibus triumphos suos quotidianâ accessione multiplicat, inuenies delectum Angelorum, qui sub animalium formis produnt, quid ab ijs supremus Imperator in hac militia requirat. Per Nostros tandem* Imag. pr. sæc. lib. 2. embl. 2. *per Nostros impleta est prophetia Malachiæ 1.* ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini Imag. pr. sæc. lib. 5. orat. 4. meo oblatio munda. *Agnus ille, de quo dicitur Apoc. 5.* vicit leo de Tribu Iuda, *est Societas: insuper cap. 9.* Imag. pr. sæc. lib. 1. cap. 2. *satis apertè prænuntiata fuit. Nam quod dicitur;* stella de cælo cecidit: *Lutherum significat ab Ecclesia secedentem, qui vtpote Doctor tamquam stella priùs in Ecclesia fulgebat. Quodque additur:* tuba cecinit; *nouum innuit eodem illo auo præconem, atque ita nostrum Patriarcham, qui similiter Magister ac Doctor post rigidissimum examen à Sorbona fuit renuntiatus.* Imag. pr. sæc. lib. 5. cap. 7. *Hic ille Angelus est Apoc cap. 10. altero pede mare, altero terram premens, cui dictum est:* oportet te iterum prophetare gentibus & populis & linguis & Regibus multis. Theol. præsid. P. de Ionghe an. sæc. *Vbi & perpetua sæculorum Societatis series designatur, dum dicitur:* in diebus vocis septimi Angeli cum Idem ibid. cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei. *Atque vt ad* Imag. pr. sæc. lib. 1. cap. 2. *viciniora veniamus; Societas nostra à S. Vincentio tract. de vita spirit. cap. 19. in Spiritu præuisa est: imo etiam (& hæc velut capitalia aduerti velim) imo, inquam, etiam à* Ioachimo

 Abbate;

Abbate; *quanto Viro! (frustrà enim, imò verò contumeliosè Alphonsus à Castro aduersus hæreses scribens eum hæret eorum catalogo intexuit, cuius pectus tanti vaticinij capax & fœcundum fuit) & sicut propinquiùs, ita adhuc apertiùs ab* Archangela Panigarola *cœnobij S. Marthæ, cui præfuit, Religiosa: à Francisci Xauerij sorore Discalceatarum Antistita*: à Reinolda vidua Arnhemiensi. *Quinam enim alij sibi vindicare possint, quod ab his omnibus in hanc sententiam prædictum est*: venturum aliquando nouum Ordinem perfectione alios omnes superaturum; præ cæteris à Deo diligendum; cui datum sit perfectè imitari vitam filij hominis. Ordinem perfectorum virorum, summè humilium, summè pauperum &c. *Quinam, inquam, hoc sibi potius arrogent, quàm Patres Societatis in humili S. Ignatij officina ad vnguem expolitæ animæ: virique moribus & totâ vitâ integerrimi, Episcopalium dignitatum renuntiatione fulgentes; vti*

In telis regest. *verißimo elogio nuper collegas suos velut vnâ fideliâ secum dealbauit disertißimus noster Viuerus. Porro Societas nostra in Mundum diuinitus missa & destinata est ad promulgandam & propagandam immaculatam* Matripatris *Christi conceptionem*: (quod nomen Deiparæ ingeniosissimus Noster

Imag. pr. sæc. lib. 1. cap. 5. Poza peperit) *vti Alphonso Roderigues à Virgine ipsa inter familiaria colloquia fuit declaratum, ac cælestibus*

Ibid. lib. 5. cap. 6. *promissu est certior reddita, neminem ex eius Angelico coetu tribus prioribus sæculis nisi ad beatas sedes euolaturum;*

Ibi. lib. 5. c. 8. *idque sine vlla Purgatorij remora; cum hoc sit hominum Societatis priuilegium,* vt mortuum Iesuitam obuius Iesus excipiat: *vt ex his perspicuum euadat* in Resurrectionis die multa millia Beatorum ex hac sola Societate pares crines numeratura. *De nobis cum solicita est Virgo, non minus demonstrat in fide & clientela sua Societatem esse, quàm cùm ipsa Martino Guttierez ostendit Societatem vniuersam sub amplißimo pallij sui tegmine collectam. Amorem hunc suum ostendit, dum de vitæ rati ne ineunda deliberantes omnes viuâ voce monet, hortatur, & impellit, vt sacræ nostræ congregationi se associent. Quod a Deo ipso non rarò factum nobis constat. Iam quid de Sociorum doctrinæ excellentia memorem? Societatis domus est, de qua Sapiens dicit cap. 9.* Sapientia ædificauit sibi domum; excidit columnas septem: misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. *Quodnam enimuero est literarum scientiarumue genus, cuius apud nos non inueniuntur consultißimi? Philosophos habemus non infantes, Fonsecas, Pererios, Suarezios, Rubios, Conimbricenses; qui latè patentes campos, hamato licet syllogismorum vomere tribulosos, vernantis tamen non inelegantiæ flore quaqua parte perpingunt, vt lectoris mentē per ardua Philosophiæ fastigia lassatam voluptuosis excessibus, quasi quibusdam pelagi sui portibus, foueant. Quod si ex Philosophico studio, & ex illo Theologiæ mari magno nobiles athletas cælo terraque inlustrioribus Olympicis, Pythijs, Nemeis, Isthmijs verticem distinctos coronis vno calamo sistam, dicam* Deças, *Molinas, Suarezios, Vasquesios, Leyssios, Valentias, Sanchios, Riberas, Salmerones,*

Positiō. Sacræ Præside P. der Kennis an. sæc.

Imag. pr. sæc. lib. 1. cap. 5.

Ibid.

Ibi. lib. 5. orat. 4.

Scribā. amphit honor. lib. 2. cap. 13.

rones, Pererios, Maldonatos, Toletos, Prados, Villalpandos, Viegas, Pinedas, Bellarminos, Turrianos, Hayos, Canisios, Busaeos, Serarios, Henriquesios, Azorios, Saios, Alcaçarios; & centenarios alios, nec animis, nec ingenio, nec impares dictione. Et vos sidera quid orba gemitis, numeri, mensuræ, radij, perpendicula, circini? Atlantes, Chrysippos, Euclides, Archimedes, Vitruuios, rediuiuos dabo in Clauio, Grimbergero, Villalpando, Hayo, Rubeo, Moignono, Aquilonio, Malcotio. Designet quis his magistros & audeat terram calcare. Vultis Poëtas, citos iambos, elegos acutos, rotundos hendecasyllabos? vultis carmina fonte & fronte sudata, musicos flores thymumque redolentia, quæ quoslibet Lyricos dithyrambos amœnitate poëticâ, historicâ veritate supereminent? Sed & æquè liberam ac ligatam ambifariam intonantem facundiam? Bencium, Stephonium, Remondum, Frusium legite. Seu se Laconicâ breuitate colligant, Menelai; seu verba sensibus glomerent, Vlysses; seu mulcendo potius, quàm extorquendo rapiant, Nestores sunt. Quanta est in Remondo altioris elegantiæ cothurnata maiestas! quantum in Stephonio gemmeæ dictionis lumen! quanta in Martyribus Bencij clarioris sideris radiatio! quantus in Frusio lepos! Neque hic subsistimus; non hisce cancellis nostra continentur doctrinarum spatia: ad Artem nauigandi, ad Architecturam militarem etiam progredimur, vt omnes erudiamus, omnibus prosimus. Nauigandi rationem nouam expeditioremque ex virtute Magnetica docuit & scripto vulgauit Cabeus, vt Neptuni filius censeri possit. Architecturam militarem profitetur solertissimus noster Cosmander, quem Naturæ atriensem possis vocare: sub huius præsidio lectissimus quidam iuuenis in Artium Matre Vrbe fortissima nuper defendit ac demonstrauit; posse tormenta minora & maiora ita instrui, vt sine vllo puluere eadem vi & æque longe globos suos emittant: *vtilissimo sanè bellatricibus prouincijs inuento; quo si antehac non caruissent, Siluaducis & Breda munitissima oppida adhuc penes Regem essent Catholicum, nec sub hæreticorum iugo gemerent.*

Fœcunda magnis magna parens viris
Palestra Iesu: victa stupet suos
Natura fœtus, quos vel vno
Parturijt generosa sæclo. Imag. pr. sæc. lib. 3. emb. 18

Atque hisce stupendis Naturæ fœtibus sese obijcere audet hic pullus hominis, hoc aberrantis naturæ eiectamentum? Sed vt socios aliquot nostros inuasisset, impetiisset; certè à Belgica Societate calamum abstinere debuerat, vtpote quæ sub ipsum S. Ignatij in cœlos ingressum primum honorarium à Diuina Maiestate concessa est. *Sed longior non ero in Societatis encomijs recensendis, quæ liber noster secularis abundè suppeditat; ac finem dicendi facio, si vnum, quod causæ iugulum petit, adiunxero. Sanctissimi Pontifices, vti dixi, Pius & Gregorius propositiones plures damnarunt & proscripserunt: hoc peto, an rectè, nec ne? Non rectè damnatas esse, nefas est dicere. Rectè igitur damnatas esse oportet. Vnde infero Iansenij quoque propositiones plurimas pro damnatis habendas esse, quippe quæ vel ijsdem vel æquiualentibus verbis astruantur.*

Positiõ. Sacræ Præsid. P. der Kennis an. sæc

Non me latet, quomodo rursum hunc ineuitabilem laqueum euadere tentet vulpecula : quasdam scilicet è damnatis propositionibus scandali tantum & nouitatis causa, atque vt offensiuas tum temporis vetitas fuisse. Verum sic se iugulat suo sibi gladio. Quid enim? an non & nunc offensiuas esse propositiones euentus commonstrant, quæ Theologos nostros ita offenderunt, vt tota in motu ac fermento sit Societas non exigua Ecclesiæ portio: quæ insuper circumfusis Louaniensi Schola vndique sectarijs adeo grata esse feruntur, vt Gommari discipuli nonnullas pro suis cœperint agnoscere. Profecto vt cætera omnia deficerent, vel hoc vnum, Præsul Prudentissime, ad abolendum infaustum opus valere deberet, quod diris hisce temporibus, quod in regione hæreticis infesta, quod Scholasticis in alta pace agitantibus classicũ cecinerit hæc furia: quo Theologis Catholicis ad ciuilia dissidia cõuersis cristæ aduersarijs assurgerent, & noui impetus ad fidei orthodoxæ oppugnationem: quam tempestatem prudentia tua præsidio, Sapientissime Antistes, à Republica Christiana auerruncandam exspectamus.

Dixerat ardens incitatusq; Accusator, more familiæ suæ nimiũ affectibus indulgens.

Cunctique fremebant
Assensu vario Patres.

Itaque clamor iam, & confusæ voces. Canus quidam & caluaster inter alios è Socijs audiebatur. Hunc mihi insusurrabat Achmetus ex Vasquij discipulis esse. Nec obolo dignus, inquit, huius hominis liber est; quippe ne vnum quidem in omnibus folijs syllogismum habet: Rhetor tantum est, non Scholasticus; ad hæc tam certo hæreticus, atque ego sum Vasquij discipulus. Alius negabat Iansenium vllo modo Theologum esse; quid enim, inquiebat, Scripturæ professio aut Patrum lectio ad Theologiam? ima ingenia apud nos hanc prouinciam sustinent. Post Patrem Cornelium & Tirinum quid superest in Scriptura nisi cõpendiatio? Erat qui diceret iam apud Louanienses constare, à Iansenio ne Zuarium quidem aut Vasquium, quos tam impudenter perstringit, lectum. *Nuper*, aiebat, *viri eruditi & apprimè in Theologia docti, nec nostri ordinis dicebant, videri à Iansenio nullum Doctorem Scholasticum inspectum*: vnde per infallibilem consequentiam sequitur; nec Vasquium lectum nec Zuarium. Quidam ex turba clamabat causam hanc iugulatam esse per sacras Theses Louanij defensas, ad quas expugnandas duo summi Theologi Academici conuenerant quidem, sed nec hilum profecerant. Multę erant huiuscemodi voces. Sed Augustinus, dic tu, inquit, Pater Protodeutere, cui patrocinium huius Rei cõmissum intellexi. Ad Protodeuteri nomen subitum silentium fuit: erat admiratio viri docti, pij, & quod inter omnes constabat, candidi. Surgit Protodeuterus,

Viuer. in méd. emend.

Atque manum crucis instar agens sic
incipit ore.

Studijs adhuc certatur, Sanctissime Præsul, minime ex æquo vtroque. Ego nullarum partium homo sum: itaque mihi

mens

mens est, sine studio, sine odio, quorum causas procul habeo, rem exequi; neque alio quam veritatis auctoramento hanc causam tueri. Quatuor omnino accusationis capita sunt: scilicet de auxilijs diuinis sine Apostolicæ Sedis licentia à Iansenio scriptum esse: deinde ita scriptum, vt in Pontificum damnationem doctrina impingat: tum Theologiam Scholasticam ab eo exsibilatam esse: ac postremò famatissimus Societatis Theologos immeritò ab eo vapulasse. Primum non retundam, quod possim, communi defensione; eum, qui in alios dicere paratus est, omni probro carere debere. Nimirum scriptores Societatis etiam post eam legem de auxilijs diuinis commentati sunt; plures ex professo, vt Tannerus, Martinus: incidenter autem, quod æquè eodem decreto vetitum est, pœnè omnes. Dicam quod res est, hoc solum à S. Sede decretum fuit, vt scribatur Nuntijs Apostolicis, hique notificent Vniuersitatibus studiorum, & Superioribus Ordinum, ne sinant edi tractatus de auxilijs diuinis. *Nunc siue Nuntio Belgico numquam scriptum sit, siue Louaniensibus ille non denuntiauerit, decretum ad eos non penetrauit. Vnde & alij de eadem materia antehac palam scripserunt; atque adeo fuit, qui Legato Apostolico commentarium suum inscripserit. Internuntius quidem Apostolicus incitatus, vt intelligitur, à socijs executionem Pontificiæ prohibitionis per literas vrsit, & Vniuersitatem, quam eâ teneri iam existimabat, de opere supprimendo admonuit: sed ex responso didicit, legem numquam insinuatam fuisse, ideo nec obligare. Publicatio in Vrbe sola quam vim alijs edictis Pontificijs tribuat præsertim in Belgio, iam non disputo. Quotidie intelligimus, quibus moribus, qua libertate Gallia, qua Belgium viuat. Hoc certè decretum, vt obligaret, insinuandum fuit, cum ipsum diserte hoc exprimat,* vt notificetur Vniuersitatibus studiorum, *quod publicatione Romana impletum non est. Detectâ hac calumniâ, quam certum est mala fide structam esse, transeo ad secundum, atque, vt apparet, palmarium accusationis caput. Dixisti Nugo, propositiones à Pio & Gregorio damnatas Iansenio resuscitatas esse. Non ignoras Toletum rei gestæ, si vllus fuit, gnarum & Vasquium, aliosque Societatis Scriptores propositiones, quas damnatas dicis, aliquo sensu tenuisse, tradidisse. Cur hoc in Iansenio accusas, quod in maioribus tuis non damnas? Mentem Gregorij Toletus non ignorauit, Vasquius ab eo didicit: vterque censuit quarumdam non tam doctrinam damnatam esse, quàm per id temporis nouitatem & insolentiam: & quarum ipsa doctrina videri potest reiecta, eas aliquo adhuc sensu veras esse & ipsa diplomata, &, quos dixi, Societatis Scriptores fatentur. Quid igitur peccauit Iansenius, qui eum sensum damnationi subducere studuit, quem olim Pontifices & Ecclesia duce Præsule nostro probauere? Si hoc assecutus est, vt cordati omnes Theologi censent, & tuo mox assensu, summe Magister, comprobandum exspectamus, laudem imò præmium meretur: si non est, quod pauci tenebriones sentiunt, conatus tamen optimus vituperari non potest. Scio quid Louanienses Symmystæ tui garriant & regerant: perpaucas propositiones ex septuaginta nouem veras esse; neque alias, quam*

duas

duas illas tresue, quas Toletus & Vasquius tradiderunt. Sed ô bone, quis spiritus has à cæteris discreuit? quis vetuit, quod in tribus illis factum est, in alijs tentari? si licuit hoc Vasquio solus subtilitatis dotibus instructo excutere, cur non à Iansenio ad Lydium lapidem, hoc est Antistitis nostri scripta, explorare? Examinentur propositiones omnes a Iansenio traditæ; nulla comperietur, quam non ijsdem verbis aut scriptis Augustini, aut ita euidenter ex scriptis tuis eliciatur, vt scripsisse debeas existimari. Hanc doctrinam, cui Ecclesia Catholica tot sæculis innixa fuit, existimas à Romanis Pontificibus censeri posse damnatam, tot diris & censuris esse proscriptam? Inanem olim triumphum Ecclesia pepereris Gloriosissime Præsul, si hæ doctrinæ tuæ bases conuellantur. Non dubito, quin, quâ valuisti semper perspicaciâ, intelligas, per latus Iansenij tuam ipsius doctrinam impeti. Id quamquam nunc dissimulent peritissimi strophatum architecti, & verba quædam tua in suos sensus aptent, ut olim Synodum ipsam vafris interpretationum commentis coryphæus ille hostium tuorum elusit; testantur illæ voces, quæ alibi magis securis, aut non satis aduertentibus exciderunt: ex opinione Augustini cogi nos incidere in sententias Pelagij, Crudelitatem ac truculentiam, & desperationis occasionem doctrinæ eius inesse. Ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis multos fideles fuisse turbatos, & ad Pelagianos defecisse. Non esse probandam doctrinam Augustini, sed aliter Philosophandum. *Quidam clamant non solum se Augustino aduersari*, sed & se consentire sententiæ Græcorum, Gallorum, & Massiliensium. *Quibus egregiè succinunt Louanienses Loiolitæ, dum & in dictatis & in colloquijs suis mussitant* Augustini doctrinam numquam ab Ecclesia esse probatam: multa eum concionatorio more vltra verum extulisse: contra Manichæos liberum arbitrium prædicasse; contra Pelagianos nimium id diminuisse. *Plura non dubiè & apertius addituri, nisi formidine Romani oraculi in Doctrinam istam nuper propensi stylum vertissent. Itaque quod maiores eorum ex pectore, hi intra dentes mussitant. Atque eò paulatim versatili in omnes dolos ingenio deuenerunt, vt quam doctrinam illi retecta fronte Augustino contrariam asseuerant; hi consentaneam esse, quia tempus & occasio ita postulant, affirmare ausint, & ostendere moliantur. Iam quæ ad infamandam viri doctrinam exempla attulisti, nullam desiderarent responsionem, si integra, & quo ipse scripsit, sensu repræsentasses. Redde ei verba sua, & euanescet calumnia tua. Negare ais Iansenium*, Deum velle omnes homines salvos fieri. *Nemo Christianus hoc neget, quod apertis verbis Apostolus scripsit. Interpretatus verò ipse est non suis sed Præsulis nostri verbis*: ita intelligere debemus, quod scriptum est, qui vult omnes homines saluos fieri, tamquam diceretur, nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit; NON QVOD NVLLVS SIT HOMINVM NISI QVEM SALVVM FIERI VELIT. Quemadmodum dicimus per vnam ianuam intrare

[Margin notes: Vasq. 1. 2. disp. 132 c. 3. Catharinus. Molin. in conc. ad quæst. 23. a. 4. & 5 disput. 1. memb. 6. — Vasq. d. 1. disp. 193. c. 4. Ozor. de Rub. & alij apud Vasq. 1. p. disp. 91. c. 3. — In Encherid. cap. 103]

intrare omnes: non quia omnes intrant, sed quia nemo intrat nisi per illam. *Quem intellectum & Angelicus Doctor noster ad eum Apostoli locum cum Prospero, Fulgentio, & Anselmo probauit. Scio diuersam vestris interpretationem arrisisse, vt videlicet Deus omnes saluos velit*, quantum in ipso est, si modo & illi velint. *Quam ab hostibus gratiæ confictam, & à te constanter reiectam, Sanctissime Præsul, non ignoras. Christum pro omnibus mortuum seu dedisse se redemptionem pro omnibus de omni hominum genere & pretij sufficientia tecum, Diuinissime Doctor, & secundum Prosperi sensum, ad quem Synodus Tridentina lectorem remittit, Iansenius exposuit. Adulterinam aliam expositionem iuxta vobiscum repudiauit, vt redemptionis proprietas ac redimentis intentio ad eos quoque pertineat, de quibus ipse dixit,* non pro mundo rogo. *Meministi scripsisse te*, non perit vnus ex illis, pro quibus mortuus est Christus. *Et alibi hunc locum exponens*; conclusit omnes in infidelitate, vt omnium misereatur. Quid est omniũ? & eorum scil. quos ex Iudæis prædestinauit, vocauit, & iustificauit: NON OMNIVM HOMINVM. *Syllogismus autem ille, quem iactitas, à musteo Dialectico, si distinctionem Prosperi teneat, dissolui poterit. Voluntatis indifferentiam & gratiæ efficientiam eodem intellectu Iansenius tradidit, quo etiam post Tridentinum D. Thomæ discipuli, vt scilicet voluntas gratia instructa in sensu diuiso possit adhuc non agere, & à gratia dissentire; minimè in sensu composito.* Sine gratia arbitrium nostrum tantum ad

Epist. ad Euod 102.

Lib 21. de ciuit Dei. c. 24.

peccandum valere: cum eadem insuperabiliter & indeclinabiliter in bonum agi & agere, *tam luculenter per omnia tua scripta diffusum est, vt cæcum esse oporteat, qui id non videt. Tot vndique impetitus de sublata libertate calumnijs nec latum vnguem ab hac doctrina discedendum censuisti, ne hac basi nutante vniuersa machina collaberetur. Hic est lapis angularis doctrinæ tuæ, lapis offensionis hostium gratiæ & decomptorum liberi arbitrij; quo immoto omnia constant, reuulso omnia labuntur. Reuelli autem non potest, quamdiu Pelagianorum victoriam te Duce Ecclesia profitetur.*

Non possum Angelici Thomæ locum ijs non repræsentare, vnde discant sine indifferentia & illæsam libertatem & actuum bonitatem constare. Est duplex, *inquit*, necessitas: quædam coactionis; & hæc laudem virtuosorum operum diminuit, quia voluntario contrariatur; coactum enim est, quod est voluntati contrarium. Est autem quædam necessitas ex interiori inclinatione procedens; & hæc laudem virtuosi actus non minuit, sed auget: facit enim voluntatem magis intense tendere in actum virtutis. *Idque confirmans exemplo beatorum addit*: hi peccare non possunt, vt infrà patebit, nec tamen propter hoc aut libertati voluntatis aliquid deperit, aut actus bonitati. *Hoc ipsum latius ad eum locum Ferrariensis in commento confirmat. Atque hinc etiam pendet quod de operibus infidelium attulisti Nugo, quod tanta vbique fiducia Præsul noster asserit, vt contrariam doctrinam erroris, insaniæ,*

Lib. 3. cont. Gent. c. 138.

impie-

impietatis, alijsque illis titulis insigniuerit, quos inuidiæ concitandæ causa Iansenio ascripsisti. De *præceptorum possibilitate & gratia sufficienti sententia eius summa huc redit, hominem gratia* Dei *destitutum non posse præcepta eius implere; quod neminem credo negaturum. Eam autem gratiam, qua possit, non cuiuis vltrò dari nuper* Tridentina *Synodus tuis ipsius verbis, Doctor irrefragabilis, definiuit:* Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod possis & orare, quod non possis. *Sed & illud rursus donum* Dei *est, vt veraci corde & spiritualiter clamemus ad eum. atque hoc vniuersum, quod dixi, consimiliter D. Thomas exposuit,* ad multa, *inquit*, tenetur homo ad quę non potest sine gratia pręparante, sicut ad diligendum Deum; sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ; quod quibuscunq; datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex iustitia non datur in pœnam præcedentis peccati. Nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur.

D.Tho. 2.2.q.2. a.5.ad 1

De ignorantia inuincibili (iuris scilicet naturalis) hæc quoque Pelagij hæresis fuit: ignorantia quæ euenit secundum necessitatem, non voluntatem, non subiacet peccato. *Et discipulorum eius querela apud Hieronymum:* videris hominum accusare naturam, ac per hoc inuidiā referre in Deum, qui tales homines condidit vt obliuione & ignorantiæ peccato carere non possint. Vbi autem aufertur possibilitas, aufertur & vitium. Nemo enim in eo condemnatur, quod facere non potuit. *Sed iudicio Ecclesiæ Catholicæ condemnati sunt, ita accipientis quod Apostolus scripsit:* misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. *Quodque Propheta precatur:* delicta iuuentutis & ignorantiæ meæ ne memineris. *Castissimum dogma quod postremo loco infamare tentasti de necessitate omnia ad Deum referendi, non fecisses, si præceptum illud* Domini *in animo tuo continenter circumferres:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua. *aut hoc Apostoli, vt oporteret, intelligeres:* Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. *Quæ quomodo vbique exposueris cœlestis sapientiæ magister, non ignoras, prius exponens* quando dicit Dominus, *inquis*, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re frui velit, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Dilectio Dei nullum à se duci riuulum extra patitur, cuius deriuatione minuatur.

August. de pel. gest.c. 19.

Lib.2. aduers. Pelagiā

August. de gest. Pel. cap vlt.

1.Ioan. 2.

lib de doctr. Christ. cap.22.

Alterum autem Apostoli locum ita enarras: Sicut præceptum est animis à Domino quid diligant, ita per Ioannē Apostolum quid non diligant. Nolite, inquit, diligere mundum. vbi non ait; nolite vti mundo: sed nolite diligere mundum: qui enim non diligens vtitur, quasi non vtens vtitur: quia non

Lib.6. musicæ cap. 14. & lib.5. contra Iul.c. 16.

non eius rei causa vtitur, sed alterius quam diligens intuetur. *Hanc doctrinam tuam mundo nimis ignotam eo quoque perducis, vt,* si quis velut
In Psal. 136. innocenti delectatione acquiescat in domo sua, in familia sua, in coniuge, in filijs, in paupertate, in prædiolo, in nouella manibus consita, in ædificio aliquo suo studio fabricato, *pro his deprecari debeat dominum, & clamare,* sana animam meam, quia peccaui tibi. *atque ideo hisce rebus intermisceri plerumque à Deo amaritudines*, quod velit nos amorem non habere nisi vitæ æternæ, ac sic per amaritudinem inferiorum nos doceat amare meliora. *Angelicus Doctor huius Angelicæ doctrinæ hæredem se passim profitetur, velut cum dicit:* cælestis in-
1. 2. q. 102. a. 5 ad 7. tentio omnibus operibus nostris debet adiungi. *Quod ne forte vti consilium quis interpretetur; audi alium locum* (2. 2. q. 69. a. 1.) ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere. *Quod tamen rursus non ita crudè accipi voluit Iansenius, vt eum scripsisse facis Nugo, quasi singulis actionibus nostris expressa ad Deum relatio coniungenda sit, Virtualem cum Thoma sufficere censuit: nam alicubi* (Ians. lib. 2. cap. 2. de stat. nat. laps.) *ait:* virtualis intentio in actibus humanis idem facit, quod actualis.

Si propositiones, quas nuper à Sede Apostolica damnatas dicis, cum hac doctrina consonant, alio sensu damnatæ sint oportet; nisi, quod nefas est dicere, eamdem secum pugnare velimus. Et verò plures istarum propositionum sensus esse, & in aliquo sustineri eas posse, ipsa Pontificia diplomata sonant: licet id temporis vt offensionis causa vetitæ fuerint: quod eò minime pertinere censendum est, vt sanctissima doctrina perpetua obliuione sepeliatur. Tertium accusationis caput peræquè calumniosum est. Quid enim ais? scholasticam Theologiam à Iansenio damnari? vsum ille numquam damnauit, sed abusum. Fatendum est enim, Eruditissime Magister, eo iam ventum esse hoc doctrinæ genere, vt vetus & germana Theologia in scholis tantum non obruta sit & sepulta. Pulpita omnia plusquam Chrysippæis subtilitatibus perstrepunt, de formalitatibus, relationibus, notionibus, quidditatibus, alijsque sexcentis nugis, quas ex Scholis Philosophorum adferunt, qui magnam ætatis partem ibi contriuisse debent, antequam Theologia admoueantur. Sunt qui syllogismis aliquot & distinctionibus instructi audent incunctanter cum quouis quauis de re manum conserere; hominum genus quouis ære dodoneo loquacius, quorum vnus quiuis cum vicenis delectis mulieribus garrulitate certare possit. Atque interim his suffugijs muniti nec vulcanijs vinculis sic possunt irretiri, quin dexterrimè elabantur, ac nodos omnes ita facile secent, vt Tenedia bipennis non possit melius. Apostoli, &c, qui his propinqui fuerunt, confutarunt Ethnicos Philosophos & Iudæos suapte natura pertinacissimos, sed vitâ magis ac miraculis quam syllogismis: nunc humanis ratiocinatiunculis & ipsorum Ethnicorum argutijs credunt hanc rem melius confici posse. Scilicet quis Ethnicus, quis Hæreticus non continuò cedat tot inuictissimis syllogismis? quis tam frigidus, quem illa non inflamment acumina? quis tam

stupidus, vt talibus non excitetur aculeus? quis tam oculatus, vt hac illi non maximas offundant tenebras? Si quis me iocari dixerit, sciat à doctis omnibus non aliter quam risu hac exsibilari solere. Atque interim viri suaues existimant, se vniuersam Ecclesiam alioqui ruituram non aliter syllogismorum fulcire tibicinibus, quam Atlas cœlum humeris sustinet apud Poëtas: & elati subtilitatibus tamquam ipsi tertium incolant cœlum, ita reliquos mortales omnes, velut humi reptantes pecudes, despiciunt & prope commiserantur. Doleant potius se in affinitatem incidisse cum his, quorum gloriatio erat, suos per syllogismorum spineta disputando & philosophando decurrere. *Iam quid perniciosius in moralibus, quam quod in hoc omnes incubant, vt Aristotelicâ quapiam ratiocinatione omnia probabilia reddant: eoque res deuenit, vt vnius quoque hominis subtilitas probabile possit reddere, quod sequi liceat cuiuis quamuis contrariam sententiam conscientia eius veritas dictet. Cupiditatibus hominum tantam fenestram hoc Theologiæ genus aperuit, vt iam prope nihil sit, quod non integra, ut existimant, conscientia perpetrari possit. Cum Nazianzeno dicere audeo:* Philosophi in Ecclesiam tamquã quædam Ægyptiacæ pestes irrepsere. *Et cur quæso tamquam pestes? Ex Tertulliano ratio peti potest:* quiduis struere & destruere docti sunt.

Quod vt in transitu exemplo vno confirmem. Quid sanctius vmquam in humana societate iureiurando fuit? quid detestabilius periuriis & mendaciis? Huc tamen res iam perducta est, vt homines calliditate restrictionum mentalium instructi candida de nigris, & de candentibus atra iurare & affirmare ausint, autoribus nimirum his Philosopho Theologis; ac facem istam licentius præ cæteris allucente Leysio vestro. Inde passim videas nundinatores magistratuum Vatinio corruptiores iuramento adactos pro meris Catonibus transire.

Huic malo non aliud paratum remedium est, quam si sobriè & cum modo haberi Philosophia cœperit, & Theologiæ studiosi ad veterum lectionem ac tua præsertim volumina, Doctissime Præsul, reuocentur: vbi non humanæ mentis ludibria, aut vanas rationum præstigias, sed diuini amoris fluenta, castissimasque morum gnomas in omnem vitam combibituri sint: veluti aduersus periuriorum, quæ dixi, mantela, illud Præsulis nostri: exspectationẽ eorum, quibus iuratur, quisquis deceperit, non potest non esse periurus, *hoc dum facere conatus est Iansenius quid commeruit? imò verò multum de Ecclesia ipsa meruit. Postremum caput, quod encomiis Societatis totum tumet, non alio consilio adiecisse mihi videris, quàm vt occasionem tibi formares, laudes tuorum huic consessui ingerendi. Metuis forsan, ne quis adhuc reperiatur, qui sæcularem librum vestrum (profecto enim Ecclesiasticus dici non potest) non legerit; quem tamen etiam in vernaculam linguam, ne plebs virtutum istarum ignara esset, magno omnium fructu transtulistis: addito infando mendacio, nisi restrictione mentali excusetur, Iansenii nouum opus, seu, vt olidâ vestra phrasi vtar, fœtidum vaccæ cadauer à Pontifice esse prohibitum. Vaticiniis & prædictionibus, quas in me-*

Ep.225.

in medium adduxisti mirâ tolutiloquentia, quisque tribuet quod volet: & si quis adhuc plura desiderat, legere poterit B. Hildegardis prædictionem apud Bsouium relatam, vbi non pauca in Societatem conuenire gustulum aliquem dabo: insurgent gentes, quæ comedent peccata populi, tenentes Ordinem mendicum, ambulantes sine rubore. *Et post pauca:* prædicabunt incessanter principibus Ecclesiarum, abstrahentes Sacramenta à veris Pastoribus, rapientes eleemosynas pauperum, miserorum & infirmorum: contrahentes familiaritatem mulierum, instruentes qualiter blande maritos &c. amicos decipiant, & res proprias eis furtiuè tribuant &c. *quemadmodum etiam ex sacris literis colligere poterit, qui volet, non contemnenda, quæ multò speciosius vos adumbrent, quàm ea, quæ frigidißimè & obtorto collo vndique corrasisti. Veluti in exemplum. Præses hic noster illud Apostoli ad Timoth.* 3. in nouissimis diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes: *de his accipit, qui non, vt oportet, opera sua omnia ad Deum referunt (quod ex tuorum sensu faciendum negasti Nugo) sed suis commodis student, cupiditatibus indulgent, honoris & præcellentiæ amore tument; quod vos egregiè facere omnes sciunt. Vbi & quæ sequuntur apud Apostolum:* ex ijs sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis &c. *Miror si aliquis de vobis abnuat, in Belgio præsertim, vt intelligo.*

Hæc verò non ideo attuli quasi instituto vestro conuenire velim, quod sanctum & saluberrimum agnosco, & Apostolicis multis viris instructum: Sed vt vanis illis laudibus vndique conquisitis non efferamini; cum videbitis alia eiusdem autoritatis minore etiam interpretandi licentia in vestrorum nonnullos posse torqueri. Quod deinde in laudem scriptorum societatis eas ampullas proiecisti, quæ ipsa sua ventositate sibi pondus derogent, tuo tuorumque more solens fecisti. Strenne enim si vlli mortalium hoc adagium exercetis mutuum muli scabunt. *Plerumque ex musca elephantum; ex cloaca arcem facitis. Nimirum corui apud vos luscinijs præstantiores sunt: quia cicada cicadæ cara est, & accipiter placet accipitri. Ecce inprimis de Zuario* ORBIS MAGISTRO, *quem vltra humana omnia sustulisti, ita alij sentiunt: nihil eum tam magnum habere, quam suorum voluminum molem; quam verè dixeris ex varijs priorum Scholasticorum scriptis collatitiam farraginem nullis propemodum Theologicis fundamentis extructam; sed errabunda sine duce humanæ rationis excursionibus compilatam. imo paucas esse Zuarij Paginas, in quibus mox aperto libro non se offerant legentis oculis errata & hallucinationes modo ridiculæ ac leues, modo maioris momenti, & quæ insigniter vapulare mereatur apud veræ Theologiæ consultos. De Vasquio communis omnium præterquam gregalium tuorum sensus est, tenuißimarum nugarum esse Sacerdotem, & nihil aliud quam aranearum telas voluminibus suis intexuisse & retexuisse: quem cum Antistiti nostro, aut Thomæ componere niteris; quod & de Zuario tentas, quid nisi*

nisi aquilis similes facere noctuas quæris? quamquam nec Vasquius hoc elogium tuum admittat, qui profitetur sibi non probari doctrinam Augustini; & aliter esse philosophandum. Nunc quo loco tibi Molina esse debeat, ex verbis illius tibi in faciem recitatis, quibus ipsam hæresim Pelagianam inscitia tua imputatam iuit, constitues.

Vtinam vero Leysius vester Theologiam ratiunculis suis non collutulasset! collustrasse enim dici non potest, qui Sole autoritatum omisso, ingenij sui laterna tetrum vndique fumum vomente ambulare in nocte maluit. Quid Originem, Pelagium, & Iulianum præcipitauit, nisi quòd Peripateticorum rationibus magis, quam autoritati traditionique attenderunt. Hoc sensu dictum ab Hieronymo: hæreticorum patriarchæ philoſophi. *Atqui moribus & vita inculpatissimus vixit Leysius, nec sine sanctitatis fama. Equidem virum optimum fuisse, ac modestia inprimis inter suos eminuisse accepimus. Sed cum diuisa sint non raro spiritus dona, quid ad doctrinæ rectitudinem inde conficis? dissimulare interim nequeo, quod de cultu eius nimis quam publico addidisti: cereos accendi, aquam benedici, exorcismis Ecclesiæ nomen misceri hominis Sedi Apostolicæ nondum probati; an hæc, inquam, satis congruant cum sacris canonibus, & postrema Vrbani VIII. constitutione Anni 1625. die 13. Martij, qua publicum omnem cultum, & nominatim lumina palam accendi hoc genus hominibus interdicit, viderit ille dilectus & melocephalus nepos, qui hæc procurat. Excidit fortè vestris, quomodo non ita pridem sexcentos illos martyres nusquam tunc non expositos retrahere & priuatim habere coacti sint? an non verentur idem discrimen confessoribus suis? Sed hoc nimirum vestrorum ingenium est, qui rerum potiuntur, Pontificia decreta non quidem exsibilare palam, eo quod quartum votum obstet, sed quoties commodis eorum officiunt, subdolis interpretationum commentis, quæ ipsi probabilia vocant, tanquam cuniculis quibusdam subruere. cuius rei pulcherrimum documentum in Sororibus vestris Deuotis nuper dedistis; ita dextrè interpretati Pontificiam damnationem quasi de chimæris locutus fuisse videatur. Prioribus etiam Garassum addere ausus es. quem tamen ignorare non potes, plurium nec dubiarum hæresum manifestum conuictumque: vti, si quis dubitet, Antigarassus fidem facere poterit. cuius inter alias est illa toties à concilijs damnata sententia:* Adam etiamſi non peccaſſet, moriturum tamen fuiſſe. *quem & liber inscriptus* curioſa doctrina *insignis præuaricationis reum facit, dum aduersus Atheos & Epicuræos ita decertat tamquam qui vincere nollet, videlicet frigidis nugis & similibus iocis ita causam propugnans, vt victo quam victori similior abeat. Alicubi etiam Poza tui mentionem facere non erubuisti: quam anagyrim profectò consultius non attigisses. Quid enim ille pudendum non effutiuit? a quo vt de puteo abyssi sycophantiarum fumus exhalauit, qui in famoso illo* elucidario *purissimæ Virgini non tantum laudes illas affinxit, quas Poëtæ Veneri, Circæ, Medeæ, Helenæ, alijsque meretriculis impertiti sunt; sed & hæc inaudita miraculorum portenta tribuit; eam non tantum Christi matrem esse, sed etiam patrem;*

Garaſ. in Tum. lib. 3. p. 700. damnauit vlcimo Trid. Seſſ. 5. cap. 1.

patrem; eademque omnia, quæ secundum naturæ tenorem pater debebat, ipsam contulisse; eaque re mereri vt Matripater, *vel* Patrimater *Christi audiat, eam nec saliuam, nec lotium, nihilque omnino excrementorum habuisse: idquè sine vllo miraculo ex sola corporis temperatura. Quomodo etiam Christi carni eam vim tribuit, vt ex simili temperaturæ excellentia, nihil se admiscente diuina virtute, solo contactu mortuos in vitam reuocare potuerit. quæ omnia se audere dicit roboratum autoritate Synodi Constantin. cùi hanc sententiam ex Salomone tribuit:* beatus qui prædicat verbum inauditum, id est nouum *inquit*; idcirco, *addit*, neque antiquos, neque antiqua Neotericis anteponi par est, nam Ecclesia in dies magis illustratur. *In qua citatione duplicis falsitatis reus est: cum contextus ita habeat:* beatus qui prædicat verbum in auditum *seu aures* obedientium. *atque ad illud Eccles. cap. 25. alludatur:* beatus qui enarrat iustitiam auri audienti. *Sed bene habet, quod intelligo stellionem pœnas nunc pendere scelerum suorum,* & Cantabrum sera domitum esse catena:

In Apolog. nat cantab. lib. 2. cap. 3.

Horat. *Vt obiter tibi versum pro versu regerã eiusdem Poëtæ, ex quo dixisti,* cantabrum ind·ctum iuga ferre nostra, *hoc est Romana. Quos superius commemoraui Scriptores, Zuarium, Vasquium, Molinam, Leysium, quod contendis expertes errorum fuisse, dum philosophia duce in arcana Dei penetrare voluerunt, numquam concedãm. Errores autem notari veritatis semper interfuit. Sed grauius, inquies, quàm par erat, doctissimi viri perstricti sunt. Vetus dictum est, qui, quæ vult, dicit; quæ non vult, audiet. Quid illi in Antistitem hunc nostrum primi effuderint, cogita; ac deinde si quid inclementius à Iansenio dictum occurrat, scias non dictum esse, sed responsum, quia læserunt prius. Obiectiones pro solutionibus arreptas esse cur aperire non liceat, si factum est, vt ipsa rei euidentia ostendit? Subtilissimi viri mente mille abstractionibus occupatâ obiter tamquam canes ex Nilo aliquid ex scriptis veterum libarunt; & non existimant humani aliquid sibi potuisse obrepere? ferant hoc ab eo, qui ætatem totam huius Magistri scriptis se immersit, & sanctissimam doctrinam altissimè imbibit. Epilogus tuus, quem cornuta argumẽtatione tamquam valido ariete muniuisti, vides ex his, quæ supra disserui, quàm infirmus sit. Nemo in dubium reuocat Pontificiam damnationem: at, quemadmodum ostendi, non omnium propositionum doctrina, sed quarumdã insolentia damnata est; non omnium omnis sensus: certè non ille quem huius Benedicti Doctoris atque Ecclesiæ olim fuisse potest demonstrari.*

Quod vero addis, hac præsertim tempestate vitari debuisse propositiones vt offensiuas, quæ turbas istas, quas exortas videmus, concitauerunt; Gracchorum hæc querela est seditionem accusantium, quam ipsi fecerunt. Absque famosis vestris disputationibus fuisset, vix aduersum sermonem liber subiisset. Nunc quod intemperiæ istæ vestram agitarunt familiam, ut cœlum terræ miscueritis, & mare cœlo, Iansenio imputatum itis. Gommari sequacibus dogmata quædam allubescere non tam dolendum est, quàm ipsis Ecclesiæque grau-

gratulandum, quod tam prope à veritate absint. Sunt adeo ex ipsis non proletarij, qui se palam Thomistas profitentur. Et nonne è diuerso Arminiani Molina se vestro adhærere passim iactuant? Nihil momenti in veritatis examine huiusmodi respectus habere debent, quàm prope Sectarij ab ea distent: neque enim quia ipsi accedant, nobis alterouersus declinandum est; sed inoffenso oculo rectà semper in eam collineandum. Quare viderint Societatis primores, quàm prudenter Theologis suis mandauerint contrariæ Præsuli nostro sententias sequi, quod confutandis huius temporis hæresibus maximè opportuna viderentur. Si tamen aliquid opportunitati, & non potius veritati omnia essent tribuenda, quis non videt, quanto facilior sit erroris expugnatio sententia tua appropinquantis, quàm longiùs ab eadem dissidentis? At quo tandem operæ pretio, inquies, ita studiosè conniti, quemadmodum Iansenius eiusque sequaces factitant, vt amotis sententijs, quæ iam placidè obtinebant, hæ rigidiores subintrent? Audeo dicere; si quid vmquam homini germanitùs Christiano cordi esse debuit, hoc in primis debere, ne Christi gratiam eiusue sinceritatem paulatim in populo Christiano extingui patiatur: ne homines in superbiam sacrilegam extollentes liberum arbitrium nullum relinquant locum gratiæ Dei, quâ Christiani sumus. *Vnde aduersus doctrinæ tuæ hostes, Profundissime Doctor, dicere solitum te meminisli:* quod totius fidei Christianæ fundamēta euertere moliantur.

P. Carthag. ad Innoc. Pap.

Itaque vt finem dicendi faciam; existimo non de Iansenij opere hic agi, sed de tua ipsius doctrina, Sanctissime Præsul, imo vero de ipsa veterum Pontificum & Ecclesiæ sententia, quæ vt in capitalibus dogmatibus conuellatur, Spiritum Sanctum huius conuentus præsidem præstitemque numquam admissurum scio.

Magni huius & docti Magistri, &, quod constabat inter omnes, minimè factiosi oratio perculit animos: & plerique succlamarunt illud tritum; *omnes, omnes.* Præsules certatim de subsellijs suis deuolarunt, & Iansenium amplexati sunt; rapueruntque Virum ex Ætolorum frustra frementium manibus ad se, ac iuxta se locum dederunt. Omnium deinde ora in Augustinum conuersa postremum ab eo oraculum expectabant. Silentium altum fuit, cum ille in hæc verba fatur.

Video huic Fratri meo euenisse, quod mihi olim factum est. Scripta mea, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamarunt nostrorum etiam quidam, dicentes me liberum arbitrium penitus submouere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem. cum tamen noscerent, Romanam Africanamque Ecclesiam, & per omnes mundi partes vniuersos promissionis filios cum doctrina mea sicut in tota fide, ita in gratia confessione congruere. Sed non latuit cur ista dixerint: voluerunt enim in sua iustitia magis, quàm in Dei gratia gloriari. Nunc rursus Philosophi huius mundi argute defendentes naturam & liberum arbitrium offenderunt in lapidem offensionis; illi præ cæteris (quod dolendum!) qui omnia ad maiorem apud Deum gloriam referunt;

Prosp. in epist ad Ruff.

Aug. ep. 106. ad Paul

Lib. 2. cōt. Iul. cap. vlt.

referunt; ac tales, quos non facile contemnas; sed continenter viuentes atque in bonis operibus laudabiles. Sed manifestum est in hoc non Dei spiritum habere, at mundi. Itane vero contra Ecclesiam Matrem vestram ratiunculis vestris quasi parricidalibus pugiunculis debetis armari? Hoc scilicet est acumen vestrum? hæc Dialectica artis astutia? Circuitis quærendo Dialecticos, & vitando Ecclesiasticos iudices. Neque vos iuuat, quod ita sententias vestras temperastis, vt nostra possent videri. Potuit & Pelagius ita se latebris obscuritatis inuoluere, vt etiam ijs, quæ à S. Ambrosio conscripta posuimus, consentire se diceret, & ea se quoque sentire proclamaret: atque ita singula conaretur exponere, vt etiam eius sententiæ congruere viderentur. Cardinem contentionis vestræ eumdem, ac olim, esse video de libero arbitrio & gratiæ potentia. Huius vero sensus rei, quem non tam meo, quã Ecclesiæ nomine prompsi, cum à duobus concilijs Numidiæ & Carthaginis mihi scribendi prouincia mandata fuerit, vobis obscurus esse non potuit. Clamabat & tunc Iulianus: Libertas arbitrij in admittendi peccati & abstinendi à peccato possibilitate consistit. Item, liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, bonum & malum. Rursus, peccatum non esse, nisi voluntas illo ipso tempore, quo peccat, potestatem habeat recedere à malo. Stultum & prophanum me appellabat, quod liberum vocarem, quod nisi vnum velle non posset. Replicaui: Liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle. Atque in totum ita sæpe definiui: fides Catholica neque liberum arbitrium negat siue in vitam malam, siue in vitam bonam; neque tantum ei tribuit, vt sine gratia valeat aliquid. Ac passim: liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab Omnipotenti Deo. Rursum: errare eos, qui putant nullam esse necessitatem peccandi, aut hanc non intelligunt illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est. De gratia potentia huiusmodi scripsi: Deo saluum facere volenti nullum hominis resistit arbitrium; sed ad seipsum omnipotentissima facilitate conuertit, ac volentes ex nolentibus facit. Indeclinabiliter & insuperabiliter gratiâ diuinâ homo agitur, ea à nullo duro corde respuitur. Atque cum his rectè consistere censui; consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire propria voluntatis est, & quæ in eamdem sententiam opponi nunc audio. Deinn velle omnes homines saluos fieri, ita Pelagius & Iulianus exposuerunt; si accedant ad eum; seu si & ipsi velint. Eos secuti Massilienses, vti ad me Hilarius scripsit, expositionem meam non susceperunt, vt eos tantum Deus velit saluos fieri, qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes omnino, vt nullus habeatur exceptus. Hunc sensum, etiam vestrum Accusatores, ita tunc refutaui: si Deus omnes vult homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: atque ideo non veniunt, quia ipsi nolunt; cur tot millia paruulorum, qui non percepto baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei? numquid aut homines non sunt, vt non pertineant ad id, quod dicitur, omnes homines? aut aliquis potest dicere; Deus quidem vult; sed ipsi nolunt; qui nondum

Epi. 120 cap. 37. Lib. 6. contra Iul. c. 5. Lib. 3. cap. 2. Lib. imper. op. f. 243. Lib. de gratia Christi cap. 47. Lib. 1. op. imper. Lib. op. imper. f. 155. De cor. & grat. cap. 14. Epi. 107 ad Vit. de cor. & grat. cap. 14. Lib. de prædest. Sanct. cap. 8. Pelag. epist. 2. ad Tim. cap. 2. Lib. 4. contra Iul. c. 8.

dum velle, vel nolle ista nouerunt? Alibi adhuc sensum meum sic aperui, *ita dictum est*, *omnes homines vult saluos fieri*, *vt intelligantur omnes prædestinati*; *quia omne genus hominum in eis est. Expositionem à Protodeutero allatam etiam probaui: vestram ô socij constanter respui. Eodem sensu Christum pro omnibus mortuum docui : scilicet misit Deus Filium suum propter præscitos & prædestinatos, vocandos, iustificandos, glorificandos. Quando enim perit, qui sanguine Christi redemptus est? Potens homo non potest perdere, quod emit auro suo; & Christus perdit, quod emit sanguine suo? De impossibilitate implendi Dei præcepta veterem cantilenam hostium meorum audiui.* quod si nolumus, *inquiebant*, non peccamus: non præciperet Deus homini quod esset humanæ impossibile voluntati. *Respondi: magnum aliquid se scire Pelagiani putant, quando dicunt: non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua, QVAE NON POSSVMVS, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus: ipsa est enim fides, qua orando impetrat, quod lex imperat. Orantibus autem Deus gratiam impertitur; his scilicet, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda est. Sed rursus vti Protodeuterus notauit, ita petere & quærere & pulsare ille concedit, qui vt hæc faciamus iubet; quique vti Spiritum gratiæ, ita & precum effundit vbi vult.*

Lib. de cor. & grat. c. 13.

Serm. 6. de verb Apost. cap. 8.

Lib. 2. de pec. merit. cap. 3.

De grat & lib. arbi. cap. 16. de perf. inst. c. 7.

De nat. & grat. cap. 37.

Lib. 1. quæst. 2. ad Simpl.

De ignorantia inuincibili tenete, quod olim inculcaui. Si quis bonum putauerit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando vtique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat, quod malè fit. Alibi; quid appetendum, quid faciendum sit, quanto labore discitur? qui autem nesciunt, ipsam boni appetendi, maliq; vitandi ignorantiam patiuntur peccandi necessitatem. Pro infidelium operibus vrgebat me Iulianus: si Gentilis nudum operuerit, numquid, quia non est ex fide, peccatum est? Respondi; prorsus in quantum non est ex fide peccatum est; non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Alibi apertè definiui: omnis infidelium vita peccatum est. Voluntas infidelis arbor est mala, quæ non potest facere nisi fructus malos.

Epi. 154

Lib. 4. contra Iul. c. 3.

De postremo ita disertè sensi: cum facit homo aliquid vbi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur. Rursum quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, ipso non recto fine peccatum est. Vera autem sapientia seu lex æterna iubet auertere amorem à temporalibus, & eum mundatum conuertere ad æterna. De inutilibus denique quæstionibus, quas nunc inter Theologos ventilari audio, repeto quod olim dixi. Multi multum disputant de ijs rebus, quas maiore prudentia nostri autores omiserunt ad beatam vitam non profuturas discentibus, & occupantes, quod peius est, multum pretiosa, & rebus salubribus impendenda temporum spatia.

Lib. 4. contra Iul. c. 3.

Ibid.

De lib. arbit. lib. 1. c. 15.

Lib. 2. de gen. ad litt. cap. 9.

Videtis igitur filij quomodo deuiastis obliquos multos tramites & inextricabiles scidistis. Patuninr vt fragilis & arguta

Lib. 1. contra Iul. c. 9. Ioan. 2. de doct. August. *arguta nouitas vestra Sanctorum patrum auctoritate conteratur: atque hac imprimis doctrina, quam Romana sequitur & seruat Ecclesia.*

Summo applausu omnium accepta fuit Augustini Oratio: solis frendentibus Socijs, & aduersus hanc Lunam clamosè baubantibus. Raucus vnus ex eorum turba; hoc hoc est, inquiebat, quod augurabar & dicebam non debuisse nos venire ad hoc tribunal hominis nimis rigidi & exacti & probabilitatũ nostrarum ac Philosophiæ Osoris. Interibi non continuit se Prosper, quin melos suum rursus effunderet.

Insano veterem renouatis ore querelam,
Omne opus arbitrij sublatum vociferantes:
Currere currentum si non & velle volentum est:
Nec vitijs pœnam deberi, aut præmia laudi,
Si vel naturam obstrictam mala velle necesse est,
Vel nostro ascribi nequeunt bene gesta labori.
Gratia, qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc ascribitis illi,
Vt cunctos vocet illa quidem, inuitetque, nec vllum
Præteriens studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absoluere mundum.
Sed proprio quemq; arbitrio parere vocanti,
Iudicioq; suo mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahit vlli,
Sed cupidos recte iuuat, illustratque volentes.
Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro;
Et quod non cuncti mortales atria vitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis,
Vt tam ex iudicio constet cuiusq;, quod intrat;
Quàm quod non intrat: seu par in vtrumque facultas
Suppetat, vt tam sit proprium bona, quàm mala velle.
At contrà; omnipotens hominem cum gratia saluet,
Ipsa suum consummat opus: non moribus illi
Fit mora; non causis anceps suspenditur vllis.
Omne etiam probitatis opus: nisi semine vera
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.
Cuique sua est laqueus sapientia: namque volunt us
Vana cupit, variis tumet & timet; omnimodaque
Mobilitate ruens in vulnera vulnere surgit.
Quæ sine te quid agit? nisi quo procul exulet à te,
Præcipites semper calles & deuia motu
Ingressura suo, nisi fessam tu bone & ægram
Suscipias, referas, foueas, tuearis, bonitas.
Si quid enim recti gerimus, Domine auxiliante
Te gerimus, tu corda moues; tu vota potentis,

 Quæ

Quæ dare vis, tribuis; seruans largita, creansque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non tamen hoc curam minui, studiumque resolui
Virtutum, aut opus ingenij torpere putandum est,
Quod bona Sanctorum tua sunt, aut quidquid in illis
Aut sanum aut validum est, de te viget; vt videatur
Nil actura hominis te cuncta gerente Voluntas.
Quodque caput satis est, moles vt tota resurgat
Pelagij. Monui hoc olim, quod tota nefanda
Hæreseos summa exigua sub parte tegatur,
De qua plena mali labes renouetur, & omne
Commenti corpus per singula membra resurgat.

Recreatis omnibus poëmatij suauitate conuentus solutus est: solis Socijs caperantibus frontem ad strepitum huius lyræ. Maluissent, inquit Achmetus, oden aliquam ex Imagine primi sæculi audire; præsertim ex capite *de Societate honorata.*

Vt ex domo læti prodijmus: Achmetus ad me; vidimus quid hic actum sit Hippone: tu modò narra, quid Louanij in ea re factitatum sit. Louanij, inquam, eodem res loco est, quo hic Hippone; Sociorum scilicet causa in medio est luto. Magistri tamen Academici inter se dissecti sunt. Quidam neutri se parti associant, omnes illas disceptationes nec vnius æstimantes assis. Prudentiam alij interpretantur, quod neque consultum censeant, crabrones irritare; aut ante Romanam definitionem alterutri parti se adiungere cum periculo condemnationis. Alij ad Librum legendum verentur ingredi, ne ab imbibitis suis sententijs distrahantur. Sunt, qui in Libri doctrinam splendidissime bilescunt: & hi puri Aristotelici, puti Scholastici sunt. Merito ergo tumultuantur, ait Achmetus: nam si doctrina Iansenianа inualescat; ac illud imprimis, quod vult omnia ex Patribus esse haurienda relicto Aristotele; ne gry quidem in Theologia scient, eamque ab elementis discere cogentur: quod enimuero cano capiti est indecens. Rem acu tetigisti, inquam. Porro sunt qui Librum defensant acerrimè: inter hos alij calidi, alij frigidi, alij cynica mordacitate formidabiles: atque hi per Pontem stratum ad metam suam scopumque perueniunt. Feruet opus; stringuntur vtrimque calami. Intelligo, inquit Achmetus, aduersus Iansenium sacras & solennissimas Theses esse editas. Ita, inquam, sacras quidam accipiunt, quemadmodum apud Virgilium *auri sacrâ fames*, hoc est scelesta. In matutina disputatione tumultus leuis fuit, quo Præses iubebat Defendentem suum non terreri; cieri quippe *ab vmbris Iansenianis.* Intererant Magistri duo, Viri scriptis clarissimi; quorũ alter plaustrum libro-

rum conscripsit de omni penè argumento, atque inter eos præcipuus & subtilissimus est de Steganographia Trithemij Abbatis: commentarius tanto Theologo dignus. Cæteri quidam vnius folij sunt: nihilominus magni faciendi, quia ab Hispano scripti; quod probat Authoritate Platonis in Euthedemo irrefutabiliter. Alter de ente rationis & capitali illa syllogismorum materia commentatus ostendere potuit, quantus Theologus mox sit futurus: quam ob rem à prudentissimo Senatu Theologico nihilq; affectibus dante in Sacrosanctum Ordinem est adlectus. Pauci Religiosi aderant; quia citati libello famoso ad licentiam veteris comœdiæ noluerunt spectatorum numerum augere. Iactitarunt inter suos Socij rogatos & prensatos fuisse à Iansenianis, ne irent. Oblatus est etiam libellus Serenissimo Principi à Celeberrimo Vasquij discipulo, quo contendit, ne Ianseniani operis patrocinium susciperet. sed necdum impetrauit paragrapher. Rescripsit Typographus Querimoniam, & sale multo Socios defricuit. Responsant hi rursum varijs libellis strepentes tamquam cicadæ alis correptæ: modò litigantes meretricularum instar, & eadem verba regerentes: modò minutias aliquas refricantes libellulis pluribus, omnibus tamen in folio, vt cum Thesibus compingi possint; & ideo etiam appellare pergunt siue apologeticas, siue additionales; vaferrimo scilicet commento! Pater Viuerus neruosissimum & ingentem commentarium edidit cui titulum fecit *ad rem, ad rem*. Sed alij literas verterunt, & res olida in risum abijt. Vsque etiam adeo, vt iam Socij non amplius audire sustineant, si quispiam in disputationibus eorum moneat vel Præsidem, vel defendentem, vt ad rem respondeat, ita ipsis fœtet, *ad rem ad rem*. Sed extra iocū: ad rem venire dicentur, dum ostēdent Iansenium non attigisse mentem sensumque Augustini; qui totius scopus fuit scriptionis. Aliorum Ordinum Religiosi tacent hactenus, & ludi spectatores sunt: nisi quod Candidus Ordo primum lapidem cœpit iacere in adulteram atratorum doctrinam.

Defenderant olim 1627. publicè Patres Minoritæ Hiberni Collegij S. Antonij de Padua sententiam D. Augustini de gratia, libero arbitrio, prædestinatione & reprobatione. Illas Theses clamabant vbiq; Ætoli ab Iansenio digestas, & istis Patribus, vt publicè propugnarentur, obtrusas. Hoc indignè tulerunt boni Patres, & literis signatis, sigilloque insignitis publicè toti Orbi testatum reliquerunt, Theses illas nec conceptas, nec compositas, nec suggestas à Iansenio; neque ad eius suasionem, instigationem, vel aliqualem interuentionem euulgatas, aut impressas fuisse. Quâ re confestim & cōfertim ora istorum animalium obfarcta fuerunt. Sed vide hominum inconstantiam.

ſtantiam. Idem ille, qui Theſes iſtas tum defendit, nunc ad lecturam euectus non ita pridem Theſes alteras compoſuit, & ſuo ſub præſidio defendendas propoſuit: alteras, inquam, ac prioribus ex aduerſo oppoſitas. Cauſa nulla tam turpis transfugij eſt, quàm quod à Crœſis ſit pellectus offâ aliquâ Irus iſte: adeo eſt

Magiſter artiu, ingeniique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Sed mirandum de Auguſtinianis; cur ipſi Auguſtino ſuo efferendo non ardentius allaborēt. Malè fortaſſis eos habet, inquit Achmetus, quod homo vnus non Eremita melius Auguſtinum intellexerit, quàm ipſi omnes. Fortaſſis, inquam. Adde, quod qui ex mantica viuunt, propitios debeāt habere Socios apud omne hominum genus gratioſos.

Nunc tamen neſcio quid inaudij de notis in Auguſtinum contra Iulian. ab Eremita aliquo concinnatis & breui prodituris: albis an atris futuris haud ſatis ſcio. Eſt illud Auguſtini opus quod *imperfectum* nominatur: hoc quia doctrinæ Molinianæ nimis quam aperte repugnat, contendunt Ætoli non eſſe Auguſtini fœtum. Prorſus ex arte ſibi ſolenni, quà quod pro ſe non facit, peſſum premere & ſuffocare conſuerunt. Defenſæ etiam nunc ſunt Theſes in Schola Theologica Conuentus Eremitarum à propugnatoribus haud capi facilibus: Defendens quippe Vulpes erat aſtutiâ valēs; Præſidens Lupus feritate terribilis prætertim in ſua Eremo. Erant Theſes iuxta mentem Auguſtini, nec non fideliſſimi eius diſcipuli *Gregorij Ariminenſis*, Doctoris, ex ſententia amœni viri Cornelij Curtij, *authentici*; *quem qui non agnoſcit, omnia ignorat.* Aiunt in impertinenti; *nullam aut certè vix vllam capitalem concluſionem ex Auguſtino elicuiſſe Ianſenium, quam non ante in terminos elicuerit* iſte Gregorius: ideoque ægrè ferunt, eius *honorificam ſubinde memoriam non extare, cum Ianſenius tam egerit diſcipulum Gregorij Ariminenſis, quàm Auguſtini Hipponenſis.* Hîc ego arbitror, magnas habendas eſſe gratias Patribus Eremicolis, quod Mundo notum fecerint, aliquem iam ante extitiſſe, qui eaſdem, ac Ianſenius prodidit, propoſitiones auſus fuerit & ſuſtinere & euulgare. Videantque hinc Socij, quàm iuſtè in ſolū Ianſenium debacchentur. Ceterùm quod ad Ianſenium attinet: compertum mihi eſt; Ianſenio non niſi ſemel iterumve idque ab alio obiter oblatū oſtenſumque Gregorium, & leuiter inſpectum: vt honorificam ipſius mentionem facere non potuerit, nedum debuerit. Sed uterque in Auguſtini ſcriptis aſſiduè volutatus in eaſdem ſententias ſuo niſu incidit. Exiuit præterea in lucem *Auguſtini Hipponenſis & Auguſtini Iprenſis de Deo omnes ſaluari volente & Chriſto omnes redimente homologia per Theſes antapologeticas expreſſa*; doctum Hercules opuſculum & ſolidum: quippe in quo tam clarè & dilucidè Auguſtini ſententia ponitur

ponitur ob oculos, vt, qui eam non agnoſcit, ad ipſiſſimam veritatis vocem aures obturet, atque obduret; ad meridianam lucem lumina claudat; addo, ut fuſtuarium mereatur. In eo centena micant Sociorum in Ianſenium maledicta. Hicne eſt fructus centum annorum, quibus in mundo fuerunt? Ob hæc maledicta Executores meritâ irâ commoti literas (manifeſtas vocant) ſcripſerunt Reuerendis Patribus Societatis Ieſu Louanij: quibus ſignificant, ſe paratos eſſe coram arbitris & iudicibus oſtendere Reuer. Ianſenium nullius impoſture, nullius calumniæ reum: doctrinæ iudicio penes ſedem Apoſtolicam relicto. Reſponderunt Socij actutùm & calidè literis quoque manifeſtis: ſe itidem paratos eſſe coram arbitris comparere; ſed præter calumnias etiam doctrinam in iudicium venire oportere: quia ſcilicet ſperabant, ſic ſe arbitrium euaſuros. vti contigit: nam nihil eſt ſubſecutum. Poſt hęc omnia prodijt Pariſijs *Peregrinus Iericḣontinus*; Louanij autem *breuis Anatomia hominis* libelli doctiſſimi, dogmata S. Auguſtini, ſuprà quàm dici poſſit, irrefragabiliter defendentes. Nihilo tamen minus oblatrant deſides aliquot ſeniculi, & totam hanc iuniorum factionem eſſe clamant: Ianſenium fuiſſe nimis iuuenem, quàm vt iſta moliretur. Idem vero dicant ipſi de D. Thoma, cuius ætatem exceſſit Ianſenius. Eruditio atq; doctrina, ô homines, non ſemper canos inſidet: poteſt ad eos veniri ædificando, computando, litigando, flore Liberi Patris ſe aſpergendo, dormiendo. Itaque cum rationibus nihil poſſint, vtpote quarũ luce perſtringantur, vti in Scholis quotidie videre & audire licet; ad Sociorum technas ſe acclinant, eorumque partibus ſe adiungunt. Mille profecto habent nocendi artes hęc fœcunda pectora. Nam vide Achmete: vt ſuas ſententias tueantur, quas apertè D. Auguſtino repugnare aduertunt; dicunt Auguſtinum ſcripſiſſe libros retractationum: diffuſiores autem ſcripturum fuiſſe, ſi diutius vixiſſet. O pluſquam diuinos homines, qui futura contingentia tam probe ſciunt!

Quid? an non minantur viris in ſummo dignitatis gradu conſtitutis; ſe poſſe illos Societati aduerſantes dignitate exuere? Ita omnes potentia ſua terrent, ne cauſæ Ianſenij faueant. Et verſutè omnia obſeruant, explorant: nihil in conuiuijs, nihil in accubationibus epularibus garritur, nihil in conuenticulis, quod ipſi per ſuos non reſciant, ac ſi quid inciderit, quod ad grauandam Ianſenij cauſam torquere poſſint, illicò Romam ad ſuos perſcribunt; quod varijs pro opportunitate mixtis commentis hi artificioſiſſimè in aures Purpuratorum inſtillant; atque omnia, vt intelligimus, ſacra commouent, quò decretum aliquod aduerſus optimum librum extorqueant: de quo & rumuſculus aliquis ad nos peru e-

peruenit. Et non vanus mî Artemidore, inquit Achmetus: nam sub discessum nostrum Congregatio S. Generalissimæ Inquisitionis edictum parabat, quo non tantum Iansenij Augustinus, sed & Patrum Ætolorum Theses, & tota illa farrago libellorum, quæ insecuta est, comprehenso etiam nominatim præclaro *ad rem ad rem*, interdiceretur: donec Sedes Apostolica re examinatâ aliud statuerit. Addita erat excommunicatio latæ sententiæ, à qua nec in Iubilæo generali absolui quis possit, si vel minimum ex his libellis retinere ac legere ausit. Quæ verò causa, inquam, tam præcipitis & Belgarum auribus insolentis tonitrui? Persuaserunt, inquit, iamiam scisma imminere Belgicæ, nisi quàm celerrimè motus omnes ad hunc modum comprimerentur. Tantane ergo, inquam, fides istis in Vrbe, qui in reliquo Orbe omnem penè decoxerunt? Ego cùm excessi è Belgica, pacem altissimam reliqui, quæ semper tenuit post indictum partibus silentium; & quidquid antea tumultus, totum ab ipsis fuit. Sed quid, ait Achmetus, nunc animi Iansenij patronis? Scio, inquam, Sedis Apostolicæ esse obseruantissimos ac religiosè parituros, nisi ex non-vsu seu non-receptione vires suas amittat edictum, quod præsagiunt plerique futurum, his ferè de causis. Theologi, qui de legibus commentantur, docent: si dura sit & grauis; & talis communiter à populo iudicetur, non peccare illos, qui statim etiã initio eam non obseruant: sed tunc demum valere, cùm populus æqualiter cœperit seruare. Duram autem esse legem quis diffiteri possit? Excommunicatione dirissima mulctari hominem Belgam, si vel cacatam chartam *ad rem ad rem* inspexerit. Nec Lutheri nec Caluini scripta sic arbitror interdicta, vt, qui legerit, non possit etiam vi Iubilæi generalis absolui, hic præsertim in Belgica, vbi librorum interdictio numquam admodum stricta fuit.

Greg. de Valent. Lud. Montesius. Diana. Alij.

Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Nec scuticâ dignum horribili sectere flagello.

An non & omnes sciunt, legem debere ingenio populi accommodatam esse, & moribus regionis, loco temporique conuenientem, quæ specialem difficultatem non adferat, aut frequentem peccandi occasionem? Iam verò in omnium manibus versatur Iansenij Augustinus. Sophistas aliquot, & tres Fungos si exceperis, omnibus acceptissimus est. Importunissimè & subreptitiè creditur procurata eius prohibitio. Iansenium sciunt omnes non impegisse in priores Pontificum interdictiones numquam antea receptas: nullum item scandali aut scismatis periculum subesse, si silentium à Socijs seruetur: atque ita suas legi rationes non constare. Credine potest in hisce rerũ circum-

stantijs

ſtantijs omnes librum ſubitò abiecturos? Vniuerſalem æquabilemq; fore legis obſeruationem, quod tamen requiritur? An non potius ſpecialem difficultatem & frequentem peccandi occaſionem præbitura eſt, ſi irrogetur? Suarium ſuum audiant, qui hic obſtrepent: is in tractatu de legibus ita docet: *Si probabiliter credatur legiſlatorem ignoraſſe ſpecialem rei præcepta difficultatem pro tali loco vel tempore; credi etiam poteſt eum tanto rigore obligare noluiſſe.* His addunt publicarum rerum periti immemorialem vſum in Belgica vigere, ne decreta Romana antea ligent, quàm à Senatu Principis examinata, probata, ac deinde vniuerſaliter publicari permiſſa: iniquum enim fuerit, vnam partem communitatis ſolam noua lege grauari. Hunc vſum optima ratio defendit: ne, ſi abſque examine promiſcuè omnia admittantur, ſępè aduerſus ingenium & mores regionis, & particulares Belgicæ conſuetudines quædam à Romanis rerum noſtrarum ignaris inuehantur cum publicæ quietis perturbatione. Huius rei iudicium circa nouæ legis receptionem cùm etiam priuatis permittant authores, quæ pertinacia eſt, id Principis Senatui tam præfractè negare conſuetudinum patriarum præ cæteris perito? Interpellans Achmetus, ſcias, ait, edicto clauſulam additam, quâ decernitur, promulgationem Romanam vim eamdem habituram, ac ſi ſingulis perſonaliter conſtitutio foret inſinuata. vt videatur promulgatione veſtra, aut Conciliorum placito opus non eſſe. Credo, inquam, rerum imperitos, ut Theologiæ tirunculos & tenellulos Monachos initio aliquâ religione mouendos, vt à legendo abſtineant; vtpote qui non aliud didicerint, quam generalia huiuſmodi dogmata ex authoritatibus ſuis; promulgationem Romæ factam ſufficere, ſi id Pontifex declaret. Sed peritiores ſciunt, generales conſtitutionum clauſulas non mutare particulares regionū conſuetudines: atqui certum eſt, vti dixi, hanc in Belgica vigere, vt publicatio ſingulis in prouincijs fiat præuio examine, ne quid ex inueteratis moribus turbetur; quem ſpecialem vſum nec intelligitur attingere legiſlator, niſi eius in ſpecie meminerit. Sed hęc ſeria nimis in medio relinquamus. Illa lepida ſunt, nec poſſum præterire. Poſt publicatum Romæ & in omnes Europæ partes tranſmiſſum edictum Pontificiū, de quo ante memini, recudendas curarunt Socij Theſes ſuas famoſas Lutetiæ. Quærentibus quomodo non peccent in quartum ſuum votum, dum Bullæ Pontificiæ tam directè contra eunt? Reſpondent ſpecialem ſibi factam eſſe à Pontifice inſinuationem ac poteſtatem ſcripta ſua iam edita, aliaue pro Societate facientia edenda retinendi, legendi, cudendi, recudendi liberè: ſolum Ianſenium libelloſq; pro eo ſcriptos iſto fulmine à Chriſti Vica-

rio ferire. Itaque & huius Conuentus hiſtoria cum bona Pontificis venia & Sociorum ſalua pace prodire poteſt; utpote quę ſummas Societatis laudes complectatur.

Iidem ipſi oggerunt ſubinde hominibus, Ieſuitas non poſſe eſſe hæreticos, neque hæretica ſcribere. Habent hoc oraculum à tripode Apologiſtæ cuiuſdam ſui; & miror à ventoſiſſimo Nugone non eſſe productum: ſcripſit iſte Apologiam contra illos, qui Ieſuitas Principum Regumque occiſores eſſe clamabant, in qua cap. 3. pag. 119. hæc habentur: *Iungantur in vnum dies cum nocte, tenebræ cum luce, calidum cum frigido, ſanitas cum morbo, vita cum morte; & erit tum ſpes aliqua poſſe in caput Ieſuitæ hæreſin cadere.* Deus bone! quid non audent emittere extra ſeptum dentium, quibus frons ſemel periit. Iſti ergo arrogant ſibi priuilegium, quod Pontifici peculiare eſſe perſuaſus eram. At hoc iuxta habeo atque illud de non perituro vllo Ieſuita tribus primis à Societate erecta ſæculis. Neque celandum hoc eſt; quomodo iſti Patres de ſatietate, de Societate inquam, Bullam ediderint Duaci nuperrimè, quæ an cum legitima & originali conſentiat viderint vel homines non bruti. Sed iam Tithoni coniunx os ſuum oſtendit. Abeamus. Vale charum caput in alterum conuentum.

FINIS.